769.202

lásd Weiss: Katalógus ... 186. o.

D. Weitere Bestandteile der Bibliothek,

Erwähnenswert: 2.

e. 97.

# DE AVRO
# DIALOGI TRES.

In quibus non ſolùm de Auri in re Medica facultate, verum etiam de ſpecifica eius, & cæterarum rerum forma, ac duplici poteſtate, qua mixtis in omnibus illa operatur, copioſè diſputatur.

304410

*Abrahamo è Porta Leonis Mantuano*
*Medico Hebræo Auctore.*

306157
306158

*Ad Sereniſſimum Dominum Dominum Gulielmum Gonzagam Mantuæ tertium ac Montisferrati primum prudentiſſimumq; Ducem.*

Cum licentia ſanctæ Inquiſitionis, & Illuſtriſſimi Senatus Veneti.

*CVM PRIVILEGIO.*

(auro potabile)




Ex Libris

VENETIIS, Apud Io. Baptiſtam à Porta. 1584.

MTAK
0 00002 98793 4

Keleti Gyűjtemény
769.202
Portaleone, Abraham:
De auro dialogi tres
200900816

M.T.AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA

200900816

# SERENISSIMO
## ET
## CLEMENTISSIMO DOMINO
# D. GVLIELMO GONZAGAE
Mantuæ tertio ac Montis Ferrati primo Duci.

TOT tantaque (Sereniſsime Princeps) ſunt beneficia, quibus me veſtra Celſitudo decorauit, vt ſi ea iampridē admiratus non eſſem, id haud dubie dementiæ, temeritatique adſcribi poſſe videretur: &

cum beneficiorum magnitudini, vel accuratiſsima gratiarum actione ſatiſfacere non poſsim, illud doleo poſſe me nullo verborum genere explicare oſtendereque, quàm me Celſitudini veſtræ deuinctum eſſe ſentiam, ac gaudeam. Nuper autem cum ingenium meum rude, tenebroſumque radio ſuo fulgidiſsimo illuſtrarit, effeceritque, vt è ſicco ſtipite ſylueſtre aureum pomum portentificè exiliret, ne mihi ingratitudinis nota inuratur (ea enim vitiorum omnium maxima, vetus vrens, ſiccanſq; fontes pietatis non ſine cauſa perhibetur) humi proſtratus, hanc meam ſcriptionem quanta poſſum humilitate reuerentiaq; ſubijcio Sereniſſimis pedibus veſtris, optimam me fortunam, eximiamque dignitatem aſſecuturum eſſe exiſtimans, ſi clementiſsimo intuitu, quaque ſolet benignitate foueatur. Interea Deum Optimum

Maxi-

Maximum pro eius Celſitudinis ſalute, diuturnaque vita, excelſa gloria, fœlicitateque perpetua deprecabor. Mantuæ Sextodecimo Calend. Ianuarij M D LXXXIIII.

Sereniſsimæ Celſitudinis veſtræ

deuinctus ac humillimus ſeruus

Abraham è Porta Leonis Mantuanus Medicus Hebræus.

# Errores ſic corrigito.

| pag. | linea | | lege |
|---|---|---|---|
| 10 | 15 | proprius | propius |
| 11 | 4 | emquid | quidem |
| ibid. | 5 | venti | venit |
| 14 | 7 | nullam | nullum |
| 28 | 11 | quaternarias | quaternariasq; |
| 31 | 2 | ibi | tibi |
| 36 | 8 | patefacit | patefecit |
| 39 | 3 | infinito | in infinito |
| 57 | 10 | Tralliano | Alexandro Tralliano. |
| ibid. | 11 | Damocrati Delphicum | Damocrati Athenienſi Delphicū |
| 60 | 15 | Adamus | Adamas |
| 63 | 7 | Corallorum | & Corallorū |
| ibid. | 13 | Antimonijsq́; | Antimonijq́; |
| 65 | 10 | Cobole | Cobolt |
| ibid. | 21 | Operimenthiolim eſt minerarum ſpiritus | Operimenthiolim eſt foſſile quoddam eſt etiã mineratum ſpiritus. |
| 66 | 4 | & quadruplex | id etiã quadruplex |
| ibid. | 20 | quo | nono |
| 67 | 13 | corrumpit | corrumpat |
| 68 | 2 | qua | quam |
| 75 | 1 | lectione | lotione |
| 80 | 10 | ſuperius | ſæpius |
| ibid. | 12 | C.L.ferri | C.L. libra ferri |
| 84 | 22 | ſecundo | vigeſimo |
| 91 | 16 | nullus | ullus |
| 95 | 14 | illicò | illita |
| 98 | 11 | frigidæq; | frigidæ ſiccæq; |
| 100 | 10 | venenum | venenoſam |
| 109 | 8 | vt dixit | vt Aetius dixit |
| ibid. | 21 | feruefacto malefica | feruefacto vino malefica |
| 116 | 9 | & aſperis | ex aſperis |
| 120 | 14 | accinctu ſæquè | accinctus æquè |
| 124 | 3 | ſermone | ſemine |
| 128 | 22 | colligit | colliget |
| 132 | 4 | qualitate | proprietate |
| 138 | 1 | ſimplex etenim | ſi ſimplex etenim |
| ibid. | 2 | vnum coloris | vnum caloris |
| ibid. | 7 | etiam contrarijs | etiam gaudet contrarijs |
| 142 | 11 | aſſereres aberrares | aſſereres ꝑfectò aberrares |
| 143 | 4 | vt eſt ſenſum | vt ſenſum |
| 144 | 8 | decimonono | decimooctauo |
| 145 | 9 | & in acturum | in acturum |
| 146 | 5 | D. | A. |
| 147 | 4 | mutuantur | mutantur |
| 148 | 10 | te obſecro | obſecro |
| 150 | 20 | ſcobis | ſcobibus |
| 163 | 20 | iuria | vina |
| 164 | 3 | tractatu capitulo | tractatu ſecundo capitulo |
| 166 | 9 | teſtimonio | enim teſtimonio |
| 169 | 9 | vos | nos |
| 172 | 8 | igni | ignis |

NIcolavs de Ponte, Dei gratia, Dux Venetiarum &c. Vniuerſis, & ſingulis Poteſtatibus, Capitaneis, cæteriſq; Miniſtris, & repreſentantibus noſtris quibuſcunq; tàm à parte Terræ, quàm à parte Maris, nec non Magiſtratibus, & officialibus huius Vrbis noſtræ, ad quos harum executio ſpectat, ſignificamus, come alli 19. del preſente nel Conſeio noſtro di Pregadi, è ſtata preſa la parte del tenor infraſcritto, videlicet, che per auttorità di queſto Conſeio, ſia conceſſo ad Abramo dalla Porta del Leone Mantoano Hebreo, che altri, che egli, ò chi hauerà cauſa da lui non poſſa per il ſpacio di anni vinti ſtampar nel Dominio noſtro, ouer altroue ſtampati venderli tre Dialoghi dell'Oro compoſti da lui ſotto pena alli contrafacenti di perder le opere ſtampate, quali ſiano dell Auttor, & di ducati treſento da eſſer diuiſi vn terzo all'accuſador, vn terzo all'Arſenal noſtro, & vn terzo al Magiſtrato, che farà l eſſecutione. Douendo il prefato Abramo ſupplicante oſſeruar quanto è diſpoſto per le leggi noſtre in materia di ſtampa. Quare auctoritate ſupradicti Conſilii mandamus vobis, vt ſupradictam partem obſeruetis, ac vbi opus fuerit regiſtrari præſentantique reſtitui faciatis. Datæ in noſtro Ducali Palatio die xxij. Nouembris, Indictione xij. M D LXXXIII.

Paulus Ciera Secr.

# SCRIBENDI OCCASIO

*Io. Po. Abrahamo è Porta Leonis Mantuano Medico Hebræo.*
*S. P. D.*

NVNQVID Aurum cibis & medicamentis admiſcere expediat; pro valetudine tuenda, & morbis profligandis, quæritur. Cumque variæ ſint auctorũ opiniones; nam Græci veteres illud prætermiſerunt, Arabes omnes eo vtuntur, Græci recentiores nonnulli, illud laudant, & ex Latinis qui græcam ſequuntur ſcholam, vt Falloppius, Laurentius, Braſauola, Chriſogonus, Aurum vituperant; At alij, vt Siluius, Platearius, Siluanus, Arnaldus, Leuinus, & qui Auream

B Alexan-

Alexandrinam, & compoſitionem Alchermes conficiunt, Scaliger, Fraſcatus, Cardanus, Plinius, Paulus, Aetius, Dioſcorides, Amatus Luſitanus, Nicander, & alij ſimiles, Aurum ſummopere laudant, vt faciunt etiam Chirurgici, qui de cauterio ab Auro facto & inciſione ſcribunt. Nunc, quam eius Excellentia ſequatur opinionem, petitur, quam ſcriptis demandare ne grauetur, rogant; & ſimiliter quibus rationibus moueatur.

# RESPONSIO AD PRAESTANTISSIMI VIRI QVAESITVM.

*CVM inter grauiſsimos viros, & multijuga doctrina refertos Medicos; de vulgaris Auri præſtantia in valetudine tuenda, ac eiuſdem in morbis nonnullis propulſandis vi, notabilis controuerſia adhuc ſit; Num aliqua ipſi facultas ex ſententia mea inſit, cuius equidem gratia, in medicum vſum venire poſſit, quærebatur; Quamobrem, ſuppoſitionibus duabus prius neceſſariò diſpoſitis; hunc ſanè Gordij nodum ſoluere, pro viribus enitar. Et primo, ſuppono, quòd Medicamentum eſt illud, quod primo & per ſe, actu,*

*vel potentia, corpus alterare poteſt, quodq́; alteratio actualis, non niſi ad tempus, & abſque caloris noſtri adminiculo, ſupernam tantùm ſuperficiem cui apponitur, & medicamenti dumtaxat præſentia, ſecundum quatuor primas, ſeu ſimplices, ſeu coniugatas qualitates ab Elementis productas, alterat. potentialis verò, mediante caloris innati actuatione fit, ac in triplici genere diſponitur, vt primum alterationis genus, primarum facultatum, ſecundum ſecundarum, & tertium tertiarum eſſe dicamus; ſed primæ, nullis, ſecundæ, primis, tertiæ autem, æquè primis ac ſecundis egent. Secundo dico, quòd ſiue exhalatio vaporoſa ob ſiccitatem coarctata & concreta, ſit propria metallorum materia, vt magnus Ariſtoteles dixit, ſiue calx in viſceribus terræ, & lixiuium quoddam genitum, vt Democrito placuit, vel cinis affuſus, plurimum immadefacientis aquæ, & tenuiſſimæ terræ ita in ſe commixtum habens, vt nul-*

*lum*

*lum omnino præter metallicum corpus repe-riatur, quod validiorem miſcellam Gilgili aſſeuerante obtineat, aut ſuccus metallicus excoctus, & frigore concretus, vt Agricolas innuit, ſeu humidum pingue viſcidumq́; terreo ita tenui, & in profundum commix-tum, quòd non ſolùm plurimum vtriuſque cum vtriuſque plurimo, ſed etiam in plurimo adhuc ſit, vt Albertus tenet, aut ſimplex ſubſtantia, Mercurij videlicet, ſulphuris, & ſalis, per Archæum terræ; vt vtar Chimicorum verbis, concinnè vnita, & rectè diſpenſata, perinde ac Paracelſus Aureolus ſcribit; Aurum ſanè, eſt foſsile corpus, denſum, lucidum, nullo odore & ſapore infectum, liquabile, non combuſtibile, & immutabile, quod non ſolum imprimi, & flecti, verum etiam in omnem poſitionem duci, igne, & arte queat.*

*Ex his itaque ſuppoſitionibus colligo, quòd vulgare Aurum, vt metallicum immutabile, actualitate quadam, & extrin-*

*ſeca*

*ſeca tantùm poteſtate, qua ex primis elementis facilè potitur, noſtrum quandoque alterat corpus, non autem ex potentia ſibi inſita, ſecundum primas, ſecundas, aut tertias qualitates, alterationes efficit; nam ſi igne quatenus tale immutabile eſt, immutabile & à calore noſtro adhuc eſſe, neceſſum eſt; Ideo, ſi quis pulverizatum (vt multi proponunt) Aurum, intrò ſumat, per anum quidem, vt metallicum corpus, & abſque mutatione vlla iterum prodire, veriſimile eſt; quinimò cùm aqua tùm vinum, in quibus inflammatū extinguitur Aurum, auri nihil iudicio meo accipere poſſunt.*

*Cauterium tamen nobile vulgare Aurum, & velocius ſanabile quidem facit, non quòd in carnem ipſam, vllam Auri facultatem imprimat, ſed quia ex metallica quadam ſiccitate refracta, & ignis impatibilitate (vt diximus) contumacem eſcharam non producit. Oris etiam graueolentiam tollere videtur, non equidem ſemper,*

& ex

*& ex innata potentia, cùm non actuetur, ſed fortaſsè, quando ex cuticulæ internæ intemperie, calore extraneo in ea, humidoq́ exuperante, vitium procedit; eſt enim Aurum frigidum & ſiccum, vt Galeno placuit. Itidem in tenuißimum puluerem redactum, Alopecias ſanat, oculumq́ affectum, Auicenna aſſeuerante, roborat, non ex interna caloris noſtri vi, eiuſdem in nobis Auri facultates ſubminiſtrante, vt aliqui autumant, ſed ex Auri ſcobe, & ſiccitate ſua, qua actu, abſque caloris ope, excrementa ſub cute contenta, exiccantur, & cutaneorum pororum, ac membranarum tranſpirationes inhibentur.*

*Metalla itaque omnia, quatenus metalla ſunt, niſi antea in ſuam proximam materiam redigantur, actuari a calore noſtro (vt arbitror) profectò nequeunt, præſertim Aurum, & Argentum, quæ quidem ambo, contradicente nemine, inter metalla omnia, & purißima, & perfectißima ſunt. At*

*contin-*

*contingit interdum, vt metallorum nonnulla (imperfectiora videlicet) per primas, ſecundas, & tertias qualitates alterent, non quia dura, & in metallum concreta, ſed quia ſuccum metallicum alterabile, ex proxima eorum materia adhuc continent; cuius planè gratia, nonnullas ex iam dictis, vel omnes in nobis alterationes faciunt, & quando ex arte Chimica, vulgare Aurum, in ſuum proportionatum Mercurium, Sal, & ſulphur, vt Pirotechniam artem inſequentes promittunt, reduci poſſet; vtique multa bona efficere in valetudine conſeruanda, & ægritudinibus curandis, arbitramur. eſt enim Auri ſuccus, res arcana, perfectiſsima, temperamento æquali, & mirabili proportione elementariarum virtutum compoſita; Soli propter ſplendorem, Ioui autem propter temperaturam, conſacrata, à corruptione tutiſsima, & cui tandem nullum mixtum comparari valet. talis itaque ſuccus, calorèm naturalem cum humore*

*more*

*more ſubſtantifico mirificè temperare, humores a corruptione ſeruare, Solarem, & Iouialem virtutem, ſpiritibus, & membris tribuere, nunquàm planè non poteſt. Omne tamen potabile Aurum, haud indiſtinctè probari debet, cum nonnulli huiuſce artis imperiti, leproſa ſolis calce, frequenter pro ipſo vtantur, quæ non niſi inteſtina vniuerſa, & ventriculi tunicas internas, incruſtant, & deaurant, ob quam ventriculi bona coctio prorſus impeditur, vnde ægritudines multæ, & variæ, ſanitatis uice inſequuntur. idcirco, vel potabilis legitimi, vel olei eiuſdem, ſeu potius quintæ fulgidiſsimi Auri eſſentiæ, vſus erit.*

*Cæterum, permulta ſub Cœlo, quæ inter ſe vel maximè conſentiunt, vel admodum diſſentiunt, & Natura creauit, & Ars conſtruxit. nam vt reliqua ſilentio prætermittam, Vulgi Mercurius, Magneti tantùm contrariatur, & acerrimus hoſtis eſt, vt tactu dumtaxat, vim attrahendi Ferrum*

*ab ipſo in perpetuum adimat, contra, tàm indiſſolubili amoris nodo, Magnes ac Ferrum deuincti ſunt, vt Crocimartis oleum, ex optimo ſcilicet Carinthyco Calybe paratum, ita Magneti efficaciam præſtet, vt etiam ingentes ex pariete clauos, admiranda potentia euellat. Sulphur inſuper, ſuo fœtido vapore, amabilem ab Auro flauedinē detrahit, ex temporeq́ſ ſplendorem congenitum aufert, vice autem verſa, per infantium vrinam, vel Armoniaci ſalis liquorem, ita ſupremum coloris gradum, & Indicum Aurum, & Gryphicum, & Canalicium Fluuiatileq́ſ acquirunt, Apironis, ac Obryzi nitorem excedendo, vt propriùs ad ignis, uel ſolis fulgorem, accedere fermè nequeant. quapropter nec ab re quidem fuerit, ſi hanc etiam Auri ſucci antipathiam, vt euitari poſſit, ex Plinio (qui fortè de huiuſmodi potabili Auro, intellexit) cæteris adnectam. hæc autem eſt (vt eiuſdem verbis vtar) quòd ſi Auro liqueſcenti (ideſt in oleum ſolis, per*

*artem*

*artem Chimicam redactum ) gallinarum membra miſceantur, conſumunt id in ſe, ita hoc, venenum Auri eſt. hæc ille, quo ita ſe habente, die enquid qua quinta Auri eſſentia potanda venit, a carnibus ijs abſtinendum eſt, ne auri opus aliquando fruſtretur, eò præſertim, quòd gallinarum pinguium longus vſus, proſperæ etiam ſanitatis tempore, deuitari decet, podagræ enim rebellis, hæmorrhoidarumq́; contra Auri inſtitutum, quod eas actuali poteſtate ſanat; frequenter (Raze Almanſorico adnotante) cauſa exiſtit.*

*Hæc pauca, ab inſcitia mea ſunt producta, qui verò grauiſſimorum Philoſophorum Medicorumq́; animam melius tenent, vt errata corrigant, & ſententiam mihi ſuam benigne aperiant, etiam atque etiam rogo.*


NON TIMEBO
ADIVTOR

# LECTORI AMICO,

*Abraham è Porta Leonis Mantuanus Medicus Hebræus. S. D.*

QVIA ex Clariſsimis Philoſophis, Excellentiſsimisque Medicis nonnulli (candide Lector) fuerũt, qui prædictam de Auro ſententiam, prorſus deſtruere conati ſunt; ne fortè ſcientibus nobis, opinioni contrariæ aſſentiri videamur (tacere namq; conſenſus quædam ſpecies exiſtimatur) reſpondendi prouinciam idcirco ſuſcepimus. vnde Dialogum de Auri potentia tripartitum conſtruximus, ac primo quidem ſermone, de medicamentorum qualitatibus primis, atque ſecundis, nec non etiam de ſpecificæ formæ facultatibus prioris ordinis, egimus; in ſecundo vero, ſpecificæ formæ ſecundi ordinis virtutes, perſtrinximus, ac tandem, vniuerſas præſtantiſsimorum virorum rationes, auctoritatesque medicas in contrarium facien-

tes,

tes, in tertio diluimus. Si quid igitur boni (benigniſsime Lector) in ipſis inuenies, incredibili me gaudio affectum iri, compertum habebis: ſin autem in his aliquid repræhenſione dignum reperies, admonitionem audire tuam, non pigebit. veritatis enim amator, nullam repræhenſorem formidare debet. aut enim inimicus repræhenſurus eſt; aut amicus; ſi inimicus inſultat, æquo animo ferendus eſt, cùm impugnata veritas, magis reluceat: amicus verò, ſi docet, audiendus: ſi errat, docendus. tu autem (ſinceriſsime Lector) hæc pauca ſuſcipe, noſtroſque ex otio percurre ſermones. Vale.

# DE AVRO DIALOGVS PRIMVS.

Achryuaſmus. Dynachryſus.

*A.* *TVI Deus Optimus Maximus ſeruator ſit, mi Dynachryſe: ſua benignitate ſumma te ſaluum faciat Omnipotens Deus, incolumemq́; reddat, o & præſidium, & dulce decus meum.* *D.* *amica quidem, & affectuoſa ſalutatio. Sed quiſnam ille eſt, qui ſummo mane, meam tàm benignè deprecatur ſalutem? O tu es generoſe Achryuaſme? tuas tibi rerum omnium opifex, voluptates donet cupitas, gaudium ſupremum, ac mirificam hilaritatem in ſecula*

*ſeculorum*

*ſeculorum afferat, & qualis proba fortuna, qualevè propitium Numen, meum in tugurium te amicum accerſire fecit? A. tui amor. D. ingentes mi Achryuaſme ago tibi gratias. Sed dic amabo, nunquid perſonati iuuenes, moleſtiam animo tuo inducunt? baccanalianè, ſtudioſam mentem præſenti tempore vexant? geſticulariavè, tibi tam citò moroſa ſunt? A. non quidem, perſonatus enim nunquam inceßi, & luſoria ſemper loca, ſtudiosè euitaui, cùm fœlicitatem haudquaquam in ludo, iocoq́; conſiſtere cenſui, ſed in operationibus duntaxat, quæ ex virtute proficiſcuntur, eam reperiri ſtatuendum putaui. D. phyloſophantis planè verba, fereq́; ab Ariſtotele Moralium Nicomachiorum decimo, mutuata. ſi itaque conſtanter perſtiteris in hoc conſilio, te profectò morigeratum virum, doctumq́; ac ſapientem, omnes laudibus extollent. A. non decet hac aßentatione vti, cùm adulationem ipſam, ita cuique perni-*

*cioſam*

*cioſam eſſe non ignores, ut eam Plato in Phedro, beſtiam humano generi peſtilentem, vocitaret, ideo ipſam dimitte, ac potius cur iſtis es ueſtimentis indutus, mihi referto, & cur inaſuetã togam cingulo coercitam, tibi nunc video. D. ſi nihil aliud audire cupis, pro comperto habetò, quòd hæc, Spagiricorum more pannoſa indumenta ſunt, eaq́; diuerſis conſtricta uinculis, apteq́; concinnata, vt ardentem adire Vulcanum, expeditius poßim. A. viſnè fortaſſe dum Mercurij denſitatem, philoſophorum lapidem, adulterinumq́; ſolem, ſumptibus perquiris maximis, pecuniarum iacturam experiri, vt tandem Chimicorum omnium inſtar, horribiles baubatus, incaſſumq́; latratus, rabidi canis more, in ſupernam Lunam mittas? D. Id Deus auertat ſummus, ea quidem ſtultitia non ſum affectus. A. Sed cuius gratia hæc moliris? D. Vt apertè ſcire, oculisq́; videre poßim, quomodo nonnullorum medicamentorum extracta, Spa-*

*giricorum arte adipiſcantur, qua induſtria præparetur ſtibium, quæ purgantia ſint, ac diaphoretica ſalia, deniq; vt quintam auri eſſentiam extrahendi rationem, è veſtigio aſſequar. A. Tempus, & oleum amittis, mi Dynachryſe, vrbs enim inclita, huiuſmodi medicamenta impensè vilitat. D. At nihiloſecius, intento fine haudquaquam ego decipiar, nauis namque mea, naufragijs nunc diuerſis conflictata, placidius vadum fortaſsè adinueniet, multi enim Hyppocratica, Galenicaq́; extollunt antidota, multi uerò, Chimicorum inuenta facilè ſequuntur, quamobrem, vt ille ſolet qui ſingulare certamen inire debet, inſtrumentis profectò ſibi nondum oſtenſis, quibus pugnandum eſt, modò hoc, modo illud experitur, ac aſſuetis armis, inaſſuetisq́; militibus pro vita tutanda, hoſtisq́; ferocitate reprimenda, manum adaptat; ita & ego, in vtriſq; medicamentorum generibus me exercitatum eſſe volo, vt æquè dogmaticæ mihi, empiri-*

*cæq́;*

*cæq́ʒ res, iuxta hominum inclinationes, præſto ſint. A. prudentis viri quod facis, quidem videtur. at num ne in omnibus, ſpagiricam artem ad vnguem imitari contendis, quòd Bacchi Aram, rubicundo vuarum ſucco ſic tẽpeſtiuè perfundis? Vis ne quemadmodum artifices illi faciunt, per vini ſpiritum ſermonem extrahere? D. antiquiſsimus Noë viniferæ vitis ſucco primus omnium inebriatus, haudquaquàm mihi genitor fuit, nec eius aſſeclam adhibere me volo. ſed Lyæum hodie præter conſuetudinem propè appono, vt hanc ſplendentis auri laminam, foco ignitam, in ipſo crebra reiteratione extinguam, ac ex arte (ſi fieri poteſt) auratũ vinum quibuſdam nobilibus parem. A. Palinodiam igitur canis? non ne diuerſam te habere ſentẽtiam relatum fuit? D. mutare placitum? hoc quidem nunc fieri omnino nequit. Sed potius huiuſmodi paradoxum pluribus nitor experientijs comprobare, vt veritatem quam ſequor, au-*

*dacius in poſterum tueri queam. A. experientia quidem, rerum omnium naturalium magiſtra celebratur, quòd ſi denegaris, non repræhenſione tantùm, ſed pœna etiam dignus eſſe videaris. D. hactenus experientia trinica, meæ rationi adamuſsim ſubſcripſit. ideo calculum reducere, haud eſt fas. A. opinionem mihi tuam, per capita tantùm, quidam diebus elapſis, enarrauit. ſed cur eſt, quòd multa (iudicio meo) ſcitu digna, in tuis omiſiſti ſcriptionibus? D. tēporis breuitas, & ſubiecti difficultas, mutilarunt ſcripturam. at multis doctis, & eruditis viris, vt ſcitè admodum, & eleganter huiuſcemodi rei medullam penitius attingerent, occaſionem dedi. ò, quàm mira eloquentia ſunt ornati, ò, quali philoſophandi ratione fulciuntur, eorum planè doctrina, ſummum gradum perfectionis attingit, vndiq; ſplendet, & æquè abſente atque præſente ſole, ſuaptè natura emicat, elucetq;. ſed calamus meus caligine tetra*

*ſuffo-*

*ſuffocatus, eiuſdem ſcientiæ fulgorem, apprimè adauxit; perinde ac in albiſsimarum columbarum cœtu, ſatyræ auis nigredo, pulchritudinis, venuſtatisq; gradum, maximoperè intendit, id quod oloris in eo, candor facere non videtur. A. comparatio pulchra, & è Decamerone Ioannis Boccacij deſumpta. tuum ſanè tractatum lectitare, eiuſdemq; verba penſitare, vehementer diſcupio, viuo tamen oraculo interea opinionem audire tuam adhuc vellem, præſertim, cum multa contra te argumenta eſſe, atque potiſſima, apertè ſciam. D. non poteris curioſiſsime Achryuaſme, completam hanc ſermocinationem meam expectare; nam ſi ab ouo (vt aiunt) uſque ad poma procedere me diſceptando exoptas, huic orationi occaſionem dediſſe, te pigebit. A. & ſi a primis etiam elementis, huiuſmodi tela eſſet exordienda, nihil referret. uerborum namque tuorum longitudine, minimè delaſſabor, cum ad hoc tantùm ſim natus, ut uiros doctos*

*ctos auſcultarem, quinimò, dum ipſi rationabilia proferunt, non ſolum ut ſemel, ſed ter, & quater, auream ſententiam repetant, Platonis exemplo in Gorgia, ſingulari ſtudio contendo, bis enim, atque ter pulchrum eſſe ferunt, ea quæ pulchra ſunt, dicere, atque conſiderare. D. hanc igitur vniuerſalem, qua id quod de Auri facultate ſentio, compræhenditur, ante omnia propoſitionem exaudi. A. illam planè dicere non dedigneris, & Deus optimus Maximus, tibi ſit præſto. D. Dico igitur, quòd elementata omnia, uel ſuas in nobis per primas facultates, quibus & ſecundæ poteſtates ſuccedunt, operationes exercent; uel uirtutibus tertijs a tota ſubſtantia proprietateq; occulta dependentibus, agunt. Si propter primas, ſecundasvè poteſtates, operantur, uel externè appoſita, uel internè deſumpta, noſtrum queunt alterare corpus. ſi autem applicita, vel ſimplicia erunt, vel compoſita. et ſi ſimplicia, uel ſubſtantiam indomitam*

*ſuaptè*

*ſuaptè natura, vel materiam patibilem obtinebunt. præterea ſi compoſita, vel patibilia impatibilibus, vel patibilibus patibilia, uel impatibilia impatibilibus, admixta ſunt. rurſus, ſi internè ſumantur, vel omnino actuari negant, vel alterationem ipſam quidem admittũt. denuò ſi actuari poſſunt, vel eorundem ſubſtantia ſemper in vſum, vel dilutum etiam, & infuſum aliquando venit. tandem ſi per tertias facultates, occultasq́ proprietates, operari videntur, vel operationi huiuſmodi, complexionata materia, vel ſpecifica ſolum forma, opitulatur. illa, ſi de potentia ſibi inſitas in actum deducere virtutes debet, vel totalem rei, vel partialem alterationem, ſupponit, & non niſi ingeſta, ſuos in nobis effectus oſtendit, huic autem, externa dumtaxat applicatio ſatis eſt, qua quidem pro ſympathya rerum, & antypathya, vel conſeruatio, vel corruptio, vel perfectio rei, ſubſequitur. A. principium ſanè, multa doctrinà refertum,*

*& à*

*& à Platonis norma in Philebo, & ſophiſta, haudquaquàm recedens, ſed antequàm vlterius procedas, res magnas abſq; exemplo (vt Plato in dialogo de Regno aſſerit) arduum eſſe euidenter oſtendere, in memoriam redige, ideo quales nam eæ ſint res, quæ externè alterant corpus, nec non quæ patibilem habent ſubſtantiam, vel impatibilem, ante omnia vt dicas, neceſſarium arbitror. D. quam libentiſsimè hoc efficiam, Ariſtoteles enim & ipſe poeticorum primo, affirmauit, quòd exemplis vtimur in dicendo, ut de quo dicitur facilius intelligatur. Sciendum itaque eſt, quòd vniuerſi ſæculi elementata, corpus externè noſtrum, ſecundum diuerſas qualitates, quibus potiuntur, alterare poſſunt, ſed non ſemper eodem modo, alterationem eandem producere ualent. nam, ſi excellentes actu qualitates poſsident, ſtatim noſtrum ſuo contactu corpus alterabunt, ut ignis ipſe facit, qui ob ſiccitatem eius intenſam, & calorem, ſui approximatione*

*tione nos calefacit, exiccatq́; ac tactu corrũpit, at ſi potentia tantùm ſuas obtinẽt facultates, tũc quidẽ paulatim, atq; noſtri caloris ope, dum ad exteriora diffunditur; illa fit alteratio. quamobrẽ, & Cadmia, & Pompholix (ſubſtantiæ quidẽ inalterabiles, quia valentis ſiccitatis dominio, actu præditæ ſunt; quacumq; corporis parte ulcera ſuboriãtur, applicatione ſua, exiccãt, quod dubio procul, & gummi, & herbæ, quamuis natura patibiles, facere non poſſunt, quia cùm proprias ut plurimũ potentia qualitates habeant; non niſi caloris noſtri adminiculo, eas nobis edũt virtutes, qui quidem calor, quamuis minimus ſit, propter immediatam medicamentorum applicationem, loco affecto, prædictas è veſtigio res, actuare valet; tanta enim actuatio, vt interioribus partibus longinquioribusq́; virtus diſtribuatur, perinde ac ſi ingeſta eſſent, non requiritur. Ideo non eſt hoc admiratione dignum, quòd interdum Chirurgus, ea quæ ſubſtantiam ha-*

*bent inalterabilem , interdum uerò ea quæ materiam patibilem tenent, eligere ſoleat, cum illa, propter excellentes actu qualitates, hæc autem propter potentiales facultates, ſibi vſu aliquando veniant. Sed quia pluribus ſimul virtutibus indigere, quas fortè in eodem ſimplici reperiri neſcimus, interdum accidit; idcirco medica ars, diuerſa quidem pharmaca nonnunquàm ſtatuit admiſcere, ſimplicia ſimul alterabilia alterabilibus, inalterabilibus inalterabilia, alterabiliaq́ in alterabilibus, eiuſdem qualitatis, diuerſæq́ adaptando, ut diligens Medicus, pro patientis temperamento, ætate, ſexu, morbi diſcraſia, tempore eiuſdem, & anni conſtitutione; multa, ſecundum indigentiam, adminiſtranda habeat medicamenta, exindeq́ emplaſtra varia, cerata diuerſa, pulueres, olea, & vnguenta multiplicia, ad Chirurgiæ vſum, inſcribuntur. A. hactenus (ut mihi videtur) id, quod ad primam tuæ diuiſionis partem ſpectabat,*

exte-

*exteriorem nimirum medicamentorum applicationem perpendens, rectè quidem ac ſuccinctè declaraſti. nunc uerò ad propoſitionis tuæ reliquum pergere non ſit moleſtum. D. ad ingeſta itaque ſermonem conuertendo, dico, quòd eis planè caloris innati ſimplex calefactio pro eorũdem primarũ, ſecundarumq́; poteſtatum ſubminiſtratione, ſatis non eſt, ſed maiori elaboratione, vel caloris, uel artis, opus habent, ut partibus æquè omnibus, uirtutes demandentur. quamobrẽ mixta omnia materiam ſuaptè natura inalterabilem obtinentia, nec primas inter ſe, nec ſecundas qualitates vbi requiritur, contribuere poſſunt, non quia potentia eis aliquo pacto non inſint, ſed quia hæc, propter materiæ impatibilitatem poteſtas, ad actum reduci nequit, nonnullis tamen ex animantibus occulta proprietate exceptis, ratione cuius, illis præcipuè per confirmatam experientiam, contrarium euenire comperimus, vt opportunè ſuo tempore locoq́;, fortaſſe no-*

*bis dicetur. A. ſed quia doctißime Dynachryſe primarum multoties & ſecundarum poteſtatum mentionem feciſti, quin abs te petam quænam ſint illæ, abſtineri non poſſum, me igitur eas adamußim docere, te maximopere precor. D. Iamiam audi eas, caliditas, frigiditas, humiditas, atque ſiccitas, ſeu ſimplices, ſeu ſecundum poßibiles qualitates coniugatæ, ac primo, ſecundo, tertio, quartoq́ gradu conſtitutæ, per quaternarias vniuſcuiusq́ gradus diſtinctiones conſideratæ, facultates primæ eſſe dicuntur. ſecundæ autem eæ ſunt, quas ab iſtis dependere omnes norunt, vt emoliendi, indurandi, tendendi, laxandi, rarefaciendi, denſandi, aperiendi, attenuandi, attrahendi, diſcutiendi & repellendi poteſtates exiſtunt, vnde dicitur (exempli gratia, quòd per primas qualitates abſynthium primo caloris gradu, arthemiſia verò ſecundo, abrotanum tertio, & naſturtium quarto, calfaciant, quodq́ propter ſecundas poteſtates,*

*teſtates, & abſynthium adſtringat, arthemiſia attenuet, abrotanum diſcutiat, & naſturtium aperiat. cæterarum autem facultatum exempla, nè tædio ſim tibi, conſulto omittere decreui. A. hæc dubio procul ſufficere mihi videntur, per traditam namque methodum, reliquas facilè poteſtates inueniam. D. à communibus itaque qualitatibus prædominantibus, primæ elementati facultates, vel ſimplices, vel compoſitæ (vt dictum eſt) nec non etiam ſecundæ virtutes eas inſequentes, prouenire ſolent, ſed à ſpecifica forma, ſiue a tota rerum ſubſtantia, tertiæ profectò operationes dependent. A. vt ſermonem ſuſpendas mi Dynachryſe te obſecro, donec ſpecificæ formæ deſcriptionem aperias. D. libenter id faciam curioſe Achryuaſme. ſcito igitur, ſpecificam formam, nil aliud eſſe, vt facilè primo de vſu partium nono a Galeno colligitur, quàm ſingularis calidi, frigidi, humidi, & ſicci proportio quædam, & armonia,*

*monia, ſeu potius quoddam ex quatuor elementorum commixtione commẽſurationeq́; productum, ac reſultans, perinde vt eidem Galeno, cùm primo de elementis quinto, tùm primo de natura humana textu primo, viſum eſt. Porrò à ſpecifica hac forma, vt rectè Albertus ſecundo mineralium libro capituloq́; quarto adnotauit, cœleſtium virtutum influxu, & complexionatæ materiæ qua infunditur occaſione, uariæ quidem mixto operationes inſunt, quamobrem ſi ad eius actionem producẽdam, complexionatæ materiæ concurſu fuerit opus, tunc per alterationem eiuſdem operationes emanabunt. ſed ſi abſque eius interuentu efficere aliquid elementatum poterit, tunc alteratione penitus omiſſa, operationes ſuas exercebit. vnde tertiæ facultates, inter ſe diſtinctæ prouenient. quamuis enim a ſpecifica forma, eas dependere omnes, affirmemus, duobus tamen modis, materiæ videlicet proximæ per calorem innatum alteratione, & præſentia*

*dum-*

*dumtaxat mixti, haud elaborata ſubſtantia, ſuas in nobis vt ibi dicam, virtutes edere perhibemus. A. hoc quidem quod dicis, ſcitu eſſe difficilè mihi ſanè videtur, proinde duas has vias quibus forma ſpecifica operatur, prout de facultatibus primis & ſecundis feciſti, in exemplum redigere non dedigneris. D. ſi nihil aliud expetis, eas iam accipe, primum enim tertiarum facultatum genus, quod ſubſtantiæ alterationem ſupponit, eſt, ſicut Rhabarbaro ineſſe poteſtatem expurgandi bilem flauam, Agarico verò pituitam, Helleboroq́ melancholiam, BeZohartico lapidi, exuperandi venenum, aliquibus etiam pharmacis, lac, vel ſemen producendi, lotium prouocandi, menſtrua attrahendi, ac ſimilia quædam adminiculante materia efficiuntur. ſecundum verò genus, quod abſque eius elaboratione virtutes effundit, eſt, ut in Herculeo lapide, Ferri attractio, in Electro, feſtucarum apprehenſio, in ſapphyro, antracis fugatio, in nonnullisq́*

*nulliſq́; gemmis, inſita virtus, vt earum ge-ſtator inuincibilis, boni intellectus, & ve-nuſtus euadat. A. petiiſſe rem, haud equi-dem pœnitet, ſed ſermonem diſtinctum ma-ximopere affecto, qua propter circa tertias facultates quæ materiæ ſuffragio poteſtates exercent, hodie immorari aueo. D. tui pro viribus deſiderium complere enitar. Priori itaque ſermoni, verba adaptando ſequen-tia, dico, quòd ſi exempli cauſa, calfacien-di ab apparentibus qualitatibus Rhabarba-rum, & exiccandi, aperiendi, & diſcutien-di, necnon etiam attenuandi, poteſtate po-titur; propter ſpecificam formam, & pro-priam ſubſtantiam, educendi bilem flauam (dummodo eius alteretur materia) facul-tatem habet. quæ quidem ſubſtantia, ſeu ſpecifica forma, quamuis ex contrariis qua-litatibus, quibus calor ſimul, & ſiccitas præ-ualent, procedere exiſtimetur; non ſunt ſim-pliciter calor & ſiccitas, propria & pecu-liaris Rhabarbari forma, ſed caloris tan-*

*tùm,*

*tùm, & ſiccitatis talis gradus & proportio, ſymphoniæ ſanè inſtar, quæ, tametſi armonia ex graui, & acuto ſono compoſita ſit; nec acutus abſolutè, nec grauis ſonus, dici poteſt, ſed proportionatus quidam, compoſitusq; concentus, nuncupari fas eſt. A. meæ ſemper ad tui ſermonem, intentæ ſunt aures, ideo ſequere. D. mixtorum itaque omnium ſubſtantia, cunctorum nunc entium reſpectu haud perpenſa, ſed tantùm per comparationem ad nos, qui eam pro uſu frequenter requirimus, vel cum ſubſtantia noſtra ſympathiam amicabilemq; habebit naturam, vel contrariam. ſi rectam nobiſcum obtinebit neceßitudinem, uel abſolutè talis erit, vt nutrimentum eſt, quod ſemper in nutriti ſubſtantiam conuerti ſcitur, vel non ex toto affinitatem poßidebit. ſi non totaliter, vel reducibilis adhuc erit, veluti Caßiæ fiſtulæ, & Aereo melli accidit, quibus quidem natura egeſtatis gratia nutrimenti loco interdum vtitur, uel non reducibilis*

*cibilis eſſe exiſtimatur, vt Agallocus, Aſpalathum & Corallus planè exiſtunt. rurſus ſi contraria, vel omni tempore, & quouis modo ſubſtantiam noſtram deſtruere nititur; vt Aconitum, & venena omnia deleteria faciunt, vel non ſemper. hoc autem, bifariam contingere poteſt. nam, vel antipathiam cum corpore noſtro, ſympathiam verò cum excremento in nobis contento, obtinet, vt de Scamonio cum bile iam notum eſt, expectando interea, quòd natura noſtra ſubſtantiæ quidem repugnantia irritata, foras ſimul Scamonium cum excremento explodat, vel naturæ medietatem habet, inter corpora perpetientia, & aliquam ſpecificam naturam mortificantem, ſeu internè ea (vt in peſtilenti conſtitutione) enata ſit, ſeu ingeſta, vt propter Napellum deuoratum, ſeu externè communicata, ueluti propter uirus, & materiale viperarum venenum, accidit; ſicut per medicamenta alexiteria, & alexipharmaca dicta, euenire ſolet, quæ alio-*

*qui,*

*qui, & ipſa, per ſe, ſi largius ſumpta fuerint, Galeno quinto de ſimp. medicamentorum facultatibus cap. 18. ita aſſeuerante, grauiter animantis corpus oblædunt. A. Stupeo quonam pacto omne quod à ſpecifica forma prouenire poteſt, materia ſcilicet adminiculante, paucis admodum amplexus fueris. D. Porrò ſpecificæ formæ occaſione, multa quidem ac diuerſa accidentia in viuentium ſalutem, vel iacturam, nunquàm certè ratione inuenta, ſed longa tantùm & diuturna experientia comprobata, ſanè inſurgunt. talis namq; res, aliquando ſe nobis offert, quæ humano generi ferè tota familiaris eſt, innatum profectò calorem adaugens, radicaleq; humidum reparans, & tamen minima eiuſdem pars, malitiam (vt videmus) & perniciem ſecum affert, vt Ceruum in exemplum adducere poſſumus, cuius vniuerſa caro, præter extremam caudam, quæ a tota ſubſtantia venenoſa eſt, abſque læſione deuoratur. qua-*

*lis itaque ratio hoc nos docuit? A. nulla quidem, ſed experientia tantum id aſſequitur. D. inſuper, quis noſtrum Cantharidas veſicæ potius quàm cæteris partibus inimicari, rationis dictamine ſciuit vnquam? aut Marinũ Leporẽ ſi ab aliquo ingeratur, pulmones exulcerare cognouit? non ne id nobis experientia ſola patefacit? A. nil aliud certè. D. præterea quis noſtrum pro comperto habuit, quòd caput Leporis terreſtris eſitatum, proprietate ſingulari qua roborandi neruos potitur, tremorem ſedare vniuerſum poſſit, quodq; capitis, ac colli volatilium omnium frequens vſus, cæcitatem producat, niſi id prius experientia oſtendiſſet? A. illa procul dubio fuit. D. ſed quidnam incredibilius hoc, quod modò referam, fore exiſtimatur, in nobis ſcilicet, qui noſtri tam curioſi ſumus, rem aliquando contra nos aggenerari poſſe, quod immanis veneni quidpiam ſapiat? non ignorant quidem hoc mulieres omnes, quæ ſingulo*

*quoque Lunæ curriculo pernitioſam ſubſtantiam natura excernunt, ne quid vnquàm mali eſſet, quod in homine non eſſet. cur illud obſecro exploratum habent? quia doctæ ſunt? haud ſanè affirmari poteſt; ſed quiſnam fuit ille, qui ipſis hoc principio declarauit? experientia ſola. A. certè vt ingenuè fatear, tu peritè admodum exemplificando, modos expreßiſti, quibus ſpecifica rerum forma mediante materia, vel malè, vel rectè operatur, & ſunt, pars ipſa cum toto, totum cum parte, pars cum parte, & proprium excrementum cum ſuo productore. quamobrem, non poſſum niſi maximoperè commendare, omnia quæ hactenus abs te ſumma uoluptate percepi. D. Porrò ſi hæc, experientiam dico, multa nos à primo ortu non docuiſſet, paruum fermè mundanis in rebus, inter nos, & ratione expertia animalia, eßet diſcrimen, attamen ipſa ratio, nonnullarum operationum cauſam aßignare quandoque nititur,*

*vt cur*

*vt cur eſt quod hoc emolliendi facultate ſit præditum, illud induret, hoc adurat, illudq́ue abſtergat, repellat, diſcutiat, denſet, attenuet, & alias ſimiles poteſtates obtineat, ſed cur huiuſmodi pharmacum pituitam uerbi cauſa educat, hoc autem melancholiam, cur Philipendula epilepſiam curet, & Lupi ſtercus potione ſumptum, triſtem coli ſenſationem ſedet, ac tandem cur Rapæ ingeſtæ, oculis affectis adminiculentur, haudquaquàm aſſerere ualet, ſed tantùm ad quandam generalitatem, pro quæſiti ſolutione, ueluti ad ſacram anchoram, confugit, ac in ſpecificam formam, ſeu ſubſtantiam totam, medicamenti vim, facultatemq́ue miram, è veſtigio refert. A. In debilem quidem portum, inualidumq́ue profugium, nauim traducit, cùm qualis ſit adæquata entis ſubſtantia, ex qua mirabiles effectus producuntur, non niſi Altiſſimus Deus, Mundi totius conditor, perfectè noſcit. D. & certè, cùm ferè huiuſ-*

*modi*

*modi ſeculi res infinitæ ſint, & infinitæ inſuper earundem poteſtates, infinitiq́ſ ſcientia, non exiſtat niſi tantùm infinito, mortalis homo ob id, aliqualem excuſationem meretur, at vnuſquiſque noſtrum, tunc contumelioſè reprehendi debet, quando vel id quod humanus intellectus aſſequi poteſt, negligentia quadam ignorat, vel captioſa ratione, & vitioſa ſeductione, veritatem ipſam occultat. Si igitur homo callet, quod cauſa qua vulgare aurum corruptionem in terræ viſceribus non experitur, in aqua perſiſtit, in aere viuit, & igne ſe tuetur, perfecta ſit commixtionis proportio, quam inter ſe ſubſtantiæ elementares habent, propter longam ſagaciſsimæ naturæ, & diuturnam elaborationem, ex qua mirandam huiuſce metalli impaſsibilitatem, & quodammodo formæ ſuæ perpetuitatem, dependere perhibemus, quomodo contendere poteſt homo, quòd vulgare Aurum deuoratum & ingeſtum, talia, & tanta (vt dicunt)*

*in nobis*

*in nobis operetur? A. Sed mi Dynachryſe, non pigeat te, ſi hac mea interrogatione, rem ſuſceptam interpellari faciam. dic amabò, non ne vulgare Aurum ſubſtantia elementaris eſt? non habet aurum quia tale, quatuor elementariarum qualitatum proportionem, cuius ratione & primæ, & ſecundæ poteſtates, in nobis impartiri poſſunt? non ne, & ſubſtantiam totam poßidet, ſeu ſpecificam formam, ex qua, tertiæ quidem operationes proueniunt? D. ita quidem eſt, ſed ègo tibi ò Achryuaſme, non ne, ferrum, & colocynthis, ſuas etiam primas, ſecundas, & tertias facultates tenent? A. non eſt profectò ambigendum. D. ſi igitur facultatibus iјs decorantur, abs te peto, cur eſt, quòd ferro non nutrimur, & colocyntidis laborioſi ſanè medicamenti hauſtu, ligni ſtatua non expurgatur? A. ob, materiæ impaßibilitate ferrum non præſtare alimentum, actuationisq́; penuria, colocynthidis vim non experiri ſtatuam,*

*tibi*

*tibi dicam. D. Sic etiam de auro reſponſum dabo. quamuis enim primas in ſe, ſecundas, & tertias habeat facultates incluſas, materiæ tamen ſuæ impaſſibilitate, calorisq́ noſtri impotentia, haud eas explicare valet, & ſiue ſcobes, & bracteæ ingerantur, ſiue laminæ ignitæ, vel aqua, vel vino, vel ſucco alio, extinguantur, nihil refert. Sed ſuæ indomitatis argumentum, ex his deſumitur nempè, quia foco non abſumitur, quòd quouis etiam loco repoſitum, putredine non afficitur, quia rubiginem non contrahit, quòd exteriora corpora tinctura ſua non remanent infecta, ac tandem, quia penitus eſt odore deſtitutum. quamobrem, cùm inter homiomera mixta connumeretur, ita quòd, vna pars, cum alia parte, ac pars cum toto, ſimilitudinem habeat; tàm in minimis planè, quàm in maximis eius partibus, impatibile erit, & tam in laminis redactum, quàm in puluerulentis ſcobibus, & ſubtiliſ-*

*ſimis bracteis diſpoſitum, inalterabile eſſe conſonum eſt. Verum imbecillitatis caloris noſtri indicium, eſt, illa ignis circa vulgare Aurum impotentia. vnde, ſi ipſe ignis, qui inter elementa omnia, in ſummo ferè caloris eſt conſtitutus, ſubſtantiam eius non immutat, quomodo exiſtimari poteſt, quòd calor noſter tepidus, & vaporoſus (dummodo non ſit aliqua peculiari virtute præditus) Auri materiam diſſoluere queat? A. Sed fortaſsè contraria pars, inficias ſtatim ibit dicendo, quomodo ò amice, Auri ſubſtantiam indomitam eſſe aſſeris, ac vulgi ſolem igne domari non poſſe, perhibes, ſi ars ipſa chimiæ, (vt utar Spagiricorum verbis) per calcinationem, reuerberationem, reſolutionem, cementationem, & ſublimationem, Auro vulgari mortem inferre gloriatur, & tu etiam in tua prima ſcriptione (vt mihi relatum fuit) aurum poſt eius mortem viuificari poſſe affirmaſti, ſi in potabilem formam, quintam*

*eſſen-*

*eſſentiam, & oleum precioſiſſimum redigatur? D. Id profectò Spagirici dicunt, & a me ſcriptum aliàs fuit, ſed ad inſtantiam breuiter dico, quòd vulgare Aurum, cæterorum elementatorum inſtar, & arte & natura, corruptioni, alterationi, omniumq́; virtutum ſubuerſioni, quibus ſpecifica forma potitur, omnino ſubeſt, & aliquæ in hoc ſeculo repertæ ſunt res, quarum quidem virtute, deprauatur aurum, & contabeſcit; verùm conſentaneum non eſt, vt dicamus, quòd ab omnibus rebus, ipſum corrumpatur, quòdq́; ſimpliciter omne calidum, eius materiam ſubuertat; imò præter ſummum ignis calorem, alicuius etiam ſubſtantiæ erodentis additamento, vt aquæ regiæ, Mercuriiq́; viui, & huiuſce ordinis nonnullorum opus eſt, ad hoc vt deſtruatur; quapropter, ſi tu, o curioſe Achryuaſme, animal reperies, quod ſummitate caloris, igni noſtro non cedat, ac erodenti ſubſtantia, uel ſpecificæ formæ virtute, præ-*

 *dictorum*

*dictorum locum ſupplente, inſignitum ſit, abſque ulla controuerſia, vulgare Aurum illi poteris exhibere, quia ingeſtum, poterit alterari, & a ſpecifica Auri forma, in ipſum planè emanabunt virtutes. Sed memento prius, id quod de quatuor qualitatibus animal conſtituentibus, Galenus primo de temperamentis ſcripſit, videlicet quando dicit, Neque enim ullum animal, aut calidum in ſummo eſſe poteſt, vt eſt ignis, aut in ſummo humidum, ſicut eſt aqua: pari modo, nec frigidum ſiccumvè in ſummo, ſed ab eo quòd in mixtura præpollet, appellationem ſortitur. Vulgare itaq; Aurum, propter ſuæ materiæ indomitatem, & innati caloris (vt diximus) imbecillitatem, non debet (vt multi dicunt) in vſum medicum venire, niſi prius chimicæ artis operatione eius ſubſtantia præparetur; & ſi tertiæ facultates a ſpecifica nimirum forma prioris ordinis dependentes, dum vulgare Aurum ſit, propter materiæ denſitatem, &*

caloris

*caloris noſtri languorem, impartiri nequeant, nec primæ quidem innatæ potentiæ quicquam efficere boni adhuc poterunt; cum facultates omnes huiuſce ordinis mixto inſitæ, non niſi ſubſtantiæ alteratione operentur. A. hoc quidem quod dicis, à peripatetica doctrina non diſcedit. Reliquum itaque eſſet, vt poteſtates à ſpecifica forma abſque materiæ alteratione dependentes, declaraſſes, ſed quia te eſſe defeſſum aliquatenus arbitror, & ego etiam ſimul & ſemel, omnia intelligere nequeo, vt quiete fruaris optata, quàm libentiſsimè permitto. hac tamen conditione, ut reliquum die ſequenti (ſi fieri poteſt) mihi abſoluas. D. Tibi ſemper obtemperare Dei nutu conabor. A. Interea vale doctiſsime Dynachryſe. Vale.*

# DE AVRO
## DIALOGVS SECVNDVS.

Dynachryſus. Achryuaſmus.

*D.* MAturè, ò Achryuaſme, huc acceßiſti, vt præcioſißimam quādam videres gemmam, quam amicus quidam, quouſq; ex Macariana Inſula reuertetur, mihi cuſtodiendam tribuit; ego autem, pulchriorem hactenus, ſplendidioremq́; lapidem, haudquaquàm inſpexi. *A.* Valdè tibi aſſentior, & cùm Balagius ſit, ſui generis equidem vincit omnes. *D.* toto cœlo aberras, quamuis enim rubicundus, ac tranſlucidus omnino ſit, inter Balagios nunquam reponi debet.

*A. ſed*

*A. ſed qualem obſecro eſſe cenſes? Granatum fortaſſè? non ne & Balauſtino colore, & violaceo, vt videre potes, deſtitutus eſt? D. neque etiam Cranatum eſſe, excellentes lapidarij aſſeuerarent, at Carbunculum eum eſſe dicerent, ò quàm rubicundus, quàm lucidus, quamq́ʒ ſolidus lapis eſt, in tenebris planè (vt experientia dudum comprobauit) per ſe ipſum maximoperè lucet, quare, catino nigro aqua quidem referto, quo tenebroſa rutilet nocte, opus non habet. & certè talem Carbunculum inter lapides, qualem Aurum inter metalla cuncta habere præſtantiam, non iniuria quidam aßeruerunt, ideo virtutes omnes, ac etiam maiores quàm reliquæ gemmæ eum poßidere, nonnulli putant, ſolis inſtar (à quo recipere poteſtates aſſeuerant) qui non ſolum (vt Stellæ faciunt, ſplendet) ſed fulgore ſummo Sidera omnia præcedit. A. tu in ſubiectum quoddam fortuitù incidiſti, quo ſententiã tuam intelligere exoptabam, modò hanc gemmarijs*

*riјs de lapidum nomine diſceptationem dimitte, & num mixtorum virtutes, ex Stellarum vi, influentiavè dependeant, mihi expone. D. igitur quòd heſterno die de ſpecifica forma dixi, ex animo tuo effluxit? non ne, cœleſtium virtutum influxu, & materiæ complexionatæ occaſione, qua infunditur forma, varias mixto ineſſe operationes intellexiſti? A. Tu quidem id explicuiſti; & ego iam antea hoc audiui, ſed quòd motus tantùm, & lumen elementatis corporibus facultates omnes condonent, vix credere poſſum. D. quòd autem duobus his tantùm modis diuerſas cœlum poteſtates, huiuſmodi mixtis, infundat, & Auerroes, & Ioannes Picus Mirandulanus, ac Peripateticorum Philoſophorum nonnulli, non ſolum aſſeuerant, ſed etiam contendunt. verumtamen ego, motum dumtaxat, & lumen, ad quamlibet facultatem rebus tribuendam ſufficere, haud exiſtimo, proprietates namque mixtis omnino reperiri, quæ*

*nec*

*nec ad elementa, nec ad motum, nec ad lumen referri poſſunt, ita vt Ptholomei, Hærmetis, & Aſtrologorum ſententiæ, aſſentiri deceat, quotidie experimur. exinde D. Thomas ſecundo Cœli, lectione decima, non ſolùm rectè ab Auerrois argumentis, Auicennam tuetur, ſed etiam, quòd Stellæ non ſint ſicut indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt Commentator dixerat, lectione decimaſexta, eiuſdem libri, facilè oſtendit, & ipſemet Auerroes, qui Aſtronomorum Calippo, & Eudoxo iuniorum, nullo non tempore deſtruere poſitiones nitebatur, intento fine fruſtratus eſt, vnde decimoſecundò methaphiſicæ commentario 45. inquit, in iuuentute mea ſperaui, vt hæc perſcrutatio compleretur per me, in ſenectute autem iam deſpero. A. quòd Cœlum itaque nobis diuerſas etiam virtutes infundat, quæ à motu, & lumine haudquaquàm dependent, grauiſſimis auctoribus poſtremò dictis annuentibus, in præſentiarum ſupponamus; at mihi vt*

*dicas vehementer te obſecro, num, pro diuerſis virtutibus in huiuſmodi mixto introducendis, neceſſe ſit, ut admirandus Aſtrorum influxus actu ſemper concurrat? D. non equidem, quia entibus animatis, primæ ſanè creationis tempore, primus penitus ſuffecit influxus, tunc enim proprietas vnicuique eorum affluenter adeo fuit elargita, vt ſucceßiuo propagationis actu, abſq; alio conſtellationis concurſu, eandem facultatem ſubminiſtraret. ſecus autem inanimatis corporibus accidit. nam, dum ſuam ab elementis eſſentiam, & determinatam naturam acquirunt, proprium ſimul & ſemel influxum, etiam recipiunt. A. Sed qua ratione ductus, hoc ponendum eſſe diſcrimen es arbitratus? D. facultates aliquando deperditæ id ſtatuere cogunt. videmus enim animantia mixta, eandem proprietatem quam a ſpecifica forma ſecundum totum vel partem habent, æquè ſemper poßidere, quòd quidem inanimatis aſsiduè entibus,*

*non*

*non contingit. nam propter errantium ſtellarum varietatem, imagines diuerſas, ac multiplices firmamenti aſpectus, recipientisq́ aptitudinem, vel ineptitudinem, non ſolum ſecundum magis & minus, facultates euariant, ſed interdum aliquali prorſus proprietate ab huiuſmodi ſpecifica forma dependente, inanimata corpora, deſtituuntur. A. & quænam ſunt inanimata corpora? D. quis ea cùm lapides eſſe, tùm metalla ignorat? A. Tu igitur tenes, quod hæc, inanimata ſint? D. Et tu metalla forſan, & lapides, animata corpora eſſe arbitraris? & quali anima? ſenſitiua nè? motiua vè? aut potius intellectiua? mentis equidem lumine obcæcatus es, ſi hæc, animo concipere audes. A. quòd lapides, & metalla ò Dynachryſe, animam habeant intellectiuam, veriſimile non eſt, nec ita demens planè ſum, vt non eam hominis eſſe propriam omnino credam. eſt enim hæc anima, natura quidem incorporea, ſplendida, ſpiritualis, ſim-*

*plex, ac impatibilis, a Deo optimo Maximo infuſa homini. quod etiam anima ſenſitiua, & motiua, prædita ſint, nec vnquam deſipui, nec tali delirio in præſentia ſum affectus. perſpicuum namque eſt, lapides, & metalla omnia, cùm motu, tùm ſenſu, eſſe destituta. ſed quod animam prorſus vegetatiuam non habeant, quis aſſeuerare poteſt? D. Vis forſan, & tu, ò Achryuaſme, inter Democrati diſcipulos, Hieronymi Cardani ſequaces, ac Theophraſti Chimici ſectatores, annumerari? ſcito, quòd neque vegetatiuam habere, cenſendum eſt, cùm potiſsimis conditionibus, augmento ſcilicet ac nutritione, animam vegetatiuam ſpectantibus, omnino careant. porrò ſi vt vniuerſæ plantæ faciunt, nutrirentur, & animalium inſtar, edulijs veſcerentur, quibuſdam dubio procul peculiaribus partibus naturalibus indigerent, quibus nutrimentum poſſent accipere. ad hoc enim radices omnes ſubſeruiunt plantis, & os itidem, animali-*

*bus*

*us cibaria ſubminiſtrat, prӕterea, diſtinctos meatus, & poros, quibus permeare facilè nutrimentū poſſet, ac ventriculos etiam congruentes habere, pro paulatina concoctione fienda, conſonum eſſet, vnde quia pro maiori parte, & dura, & compacta admodum ſunt; hinc ſatis liquet, quòd nutrimenti gratia nequeant ſe diuidere, & aperire, atque rurſus meatus apertos conſtringere, atque occludere. A. Sed qua ratione aſſeris, o Dynachryſe, quòd lapides, & metalla, nutritione careant, & augmento? nonne, & comminuti lapides, augeſcere viſuntur? ſi quis enim lapidis partem conſultò effodiat, et per aliquod temporis ſpacium inanem relinquat, nonne repletam eam inueniet? ſi igitur lapidum partes comminutӕ ablatӕq́;, perinde ac reſecti plantarum rami reſtaurantur, nonne, lapides nutriri, in confeſſo erit? & ſi nutriantur, nonne uegetatiuam animam ſtirpium inſtar, & ipſi habent? D. aduerte o Achryuaſme, quòd*

*lapides*

*lapides omnes, & metalla, æquiuocè nutriuntur, & æquiuocè augmentantur. nam ab intrinſeco nunquam principio, ſed ab extrinſeco tantùm augeſcunt, & per iuxta poſitionem partium increſcunt, ita quòd, nec vera nutritio, nec propria auctio, ſed additio potius cenſeri debet; vnde mixta prædicta penitus carere anima, perhibemus. Vt igitur me ad ſpecificæ formæ conſiderationem conuertam, dico, quòd hæc, biſariam vt heſterna die audiſti, miras animatis inanimatisq; mixtis, proprietates largitur, ſed excellentiores ſecundæ claſſis poteſtates exiſtũt; vnde ſi ex arbitrio virtutem ſuam nobis exhibere, abſque naturæ neceſſitate valerent; brutorum animam propè dixerim, præſtantia, & bonitate, excederent. A. quod de mixtorum proprietate, per ſecundum formæ ſpecificæ modum, elapſo die dixiſti, rectè quidem in memoria inſidet: ſed ſi ad exempla iterum ſermonem vertere libet, iucundiſſimum facies. idcirco vt proprias nonnullo-*

*rum*

*rum virtutes, animatorum nempè & inanimatorum, iuxta modum ſecundum, in medium proferas, vehementer te obſecro. D. libenter obtempero, & vt a foßilibus exordiar mixtis, Chriſolitum præ cæteris lapidem, commemorabo. hunc ſanè anulo adligatum, geſtatumq́, ſapientem efficere hominem, nonnulli aſſerunt, ſicut, & Gagatronica gemma, victores reddere ipſam gerentes, itidem fertur, ac Libicæ Lippari, admiranda (vt dicunt) inſita virtus eſt. nam beſtiam canibus & venatoribus infeſtam, lapidis geſtorem, perinde ac herus eßet, perquirere, & intueri, vtique proferunt. quomodo igitur ab Elementis, has dependere proprietates dices? quomodo vel ad cœlorum motum, vel ad ſiderum lumen, virtutes referre iam dictas, potes? A. ſi hæc, à grauißimis auctoribus (vt reor) non eſſent decerpta, ea prorſus (& mihi parce) deluderem, nunc autem præ admiratione valdè ſtupeſco. D. pro comperto habeto,*

*quòd*

*quòd huiuſcemodi proprietates non recenſerem, niſi ab Auicenna, Magnoq́; Alberto eſſe ſcriptas, non reperiſsem. A. vlterius perge. D. pariter, & animantibus ipſis, nonnullæ inſunt eximiæ facultates, quæ nec ab elementis, nec à cœleſti motu, vel Stellarum lumine, tantùm dependere, putari debent, vt in garrula Rana (verbi cauſa) & in Scarabæo abiectiſsimo quidem obſcænoq́; animali, adnotari poteſt, vtrumlibet enim, ſi quartana febre laborantis collo, ſuſpendatur, ſanationem procurat. præterea, Araneus, ſiniſtro febrientis brachio adligatus, dictam à nobis amphimerinam febrem, egregiè curat, & gregariarum Caprarum vermes, qui iuxta earundem cerebri baſim, ſuboriuntur, & ſternutamentis crebris, è naribus huiuſcemodi animalis, in veſtem ſubſtratam inſiliunt, comitialibus morbis opem ferunt, ſi antequàm terram attingant, patientis collo apponantur. A. antedicta omnia, veritatis imaginem præ ſe non ferunt,*

*ſed*

*ſed poſtremò enarratum, mendacium abſolutè portendit, & fortè fortuna nec expertum a te, nec ab Auctore aliquo notatum fuit. D. quòd illud experientia nō ſit apud me comprobatum, ingenuè fateor, ſed incredulitas hæc tua, veritati quidpiam haud demit, Aranei enim, Ranæ, Scarabeiq́; proprietates, triuico vſu ſunt manifeſtæ, & vermium commemoratorum facultatem, Tralliano primo lib. cap. 15. referente, Damocrati Delphicum Pythiæ Oraculum impartiuit. A. omnia igitur veritatem ſapere videntur. D. attamen ſi de re aliqua, te hæſitare contingat, ſcrupulum mihi tuum, audacter explica. A. iam antea in hanc audaciam prolapſus ſum, nunc verò ſermonem perſeuera. D. virtutem itaque vnicam, animatorum entium ſpecificæ formæ per ſecundum ordinem operanti, natura ſagax vt plurimum tribuit, vnde Remorra paruus piſciculus ſupra omnē credulitatem, nauem in medio mari, impetu ventorum*

*exagitatam, ſiſtit, vt ferunt aliqui, aut ſaltem alijs referentibus, eam retardat, & Torpedini facultas ineſt, ut protinus per piſcatoris tridentem, ad manum alteratione tranſmiſſa, torpidam faciat; ſed munificam magis inanimatis mixtis, ſe natura exhibuit, cùm animæ vice qua illa ſunt deſtituta, duabus interdum, ac tribus, nec non pluribus etiam facultatibus, pro materiæ proximæ aptitudine nobilitateq́ꝫ, benignè admodum exornauit. A. ſic rebus iuſtè ſuas diſtribuit poteſtates. D. quòd ut magis elucescat, Amandinam conſidera prætioſam gemmam, hanc autem venena omnia, cùm reprimere, tùm extinguere, geſtatorem contra hoſtes inuincibilem reddere, ſomniorum, ænigmatumq́ꝫ interprætationē docere, Euates dixit. Itidem Berillus contra lites, & inimicorum pericula operari, gerentemq́ꝫ mitem (vt phas eſt) ac ingenij probi efficere, omnino fertur, Medicorum etiam quidam, eum contra pigritiam, hepatis dolores, ſu-*

*ſpiria,*

*ſpiria, eructationes, oculosq́; humidos valere, aſſeuerant, & Aurifices, coniugium inter maritum, & vxorem adhuc conciliare, ſubiungunt, ſic & Iaſpidem lapidem, ſanguinis fluxum, & menſtrua cohibere, conceptum negare, partum iuuare, luxuriam propellere, febres, ac hydropiſim fugare, nonnulli affirmant. A. ſi gemmæ igitur tanti præcij apud homines ſunt, haud decet mirari, cum tot, & tantas mirabiles, vt aſſeris, poteſtates, habeant. D. verum enim uerò haudquaquàm inanimata omnia vt prædicta, ad varias ſecundi modi ſpecificæ formæ virtutes recipiendas, apta ſunt. nam in confuſis materijs, fæculentis, & craſſis, poteſtates ipſæ planè opprimuntur, ita vt vix minimam partem ſecundæ poteſtatis, interdum valeant obtinere. contrario autem modo, quibus proxima materia perſpicuitate, & lumine cœlo aſſimilatur, ſuccedit res, quia ob varias eiuſdem, potentes mirandasq́; facultates, alta ſtupiditate*

*hoīes afficiuntur, & inde ſit, ut præcioſi lapides, præmixtis omnibus virtutibus pollcant excelſis, quia nimirum ſummè nitent, & rutilant. quorum quidem fulgente ac cœleſti ſplendore, factum eſt, ut Indorum Philoſophi, gemmas nuncuparent ſtellas elementares. A. nomen dubio procul in amorem præcioſiorum lapidum, animum alliciens. D. & certè, hoc eſt admiratione dignum, quod quatuor colores, præcioſi lapides, quibus cœlum ſimilitudinē habet, æmulentur, colori namque cæruleo, quo orbis non ſtellatus inſigniri videtur, Sapphyrus, albeſcenti & candeſcenti ſtellarum firmamento, Berillus, & Adamus, Solis, & Martis colori igneſcenti, Carbunculus, ac tandem rubeo obſcuro nonnullarum Stellarum manſionum, & Lunæ, Calcidonius, Ametiſtus, & Smaragdus aſsimilantur. A. ò humanum intellectum, quanta penetrare vales. D. cæterum ſpecificæ formæ ſecundi ordinis virtus, eodem planè modo ſemper,*

*ac par-*

*ac partibus homiomeri mixti æqualiter diſperſa exiſtit, non autem ſemper omnibus animati membris, ſeparatim, atque coniunctim, vis talis ineſſe comperitur; nam ſi collo integra Lacerta viridis appenſa, quartanæ medetur, rectum tantum Lupi inteſtinum, coli dolorem curat, ab affectuq́; eodem, hominem præſeruat. & ſi Echini Dipſaci viui vermes, ac integri, quartanam febrem fugare valent, magni animalis Alcen appellati ſolæ vngulæ, epilepſiæ inimicantur. Inſuper inanimata entia, ſuas ſemper in nobis exercent facultates, dum incorruptam habeant proximam materiam, ſed animantia ipſa, id iugiter facere haudquaquàm uidentur; nam proprietates nonnullæ animatis quibuſdam reperiri dicuntur, quæ vita tantùm præſente operantur, abſente verò ociantur. ideo ſi ab animalis aliqua parte, ſpecificæ formæ ſecundi modi qualitates perquirantur, poſt eius interitum id non eſt faciendum, tunc enim operis fruſtratio ſequeretur,*

retur, ſed quando violenti nece occumbit animal, & antequàm extremum ſpiritum effundat, exoptatam partem tunc debemus extrahere. ſic è Cerui corde, virtuoſum os, ex Buffonis capite, Boracem gemmam, & a Galli ventriculo, Alecterium lapidem eximere poterimus; Itidem & inanimatorum per ſecundum modum ſpecificæ formæ proprietates, antequàm corruptionem inſignem patiatur materia, ſunt inquirendæ, per deſtructionem enim proximæ ſubſtantiæ, facultates etiam deperire, nemo noſtrum ignorat. A. nunc verò, vt integram inanimatorum ſubſtantiam cognoſcere perfectè valeam, nonnulla patognomonica ſigna mihi inſinuare te non pigeat. D. calliditatem hanc tuam, meus è veſtigio animus penetrauit, nonnullas enim ſpagiricas dictiones modò intelligere o Achryuaſme excupis, audi iam eas, & vnica tantùm vice, tuum animum exple. Metalla itaque omnia, incorrupta eſſe cenſendum eſt, ſi adhuc

laten-

*latentem in ſe pinguedinem, quam à Sulphure acceperunt, obtinere videantur. præterea Mercurij vita, interior calor, & exterior frigiditas erit, Sulphuris verò, combuſtibilis & malè olens pinguedo, omnium ſalium, ſpiritus aquæ fortis, Gemmarum Corallorum, proportionatus color, Margaritarum autem, earum ſplendor ac nitor eſſe cenſetur, præterea Magnetis conſtans natura, Ferri ſpiritus, Silicum, & grauatorum, mucilaginoſa materia, Cachimiarum verò, Talchi, Choboltbi, Zingi, Zuuiter, Vuiſmadt, Antimonijſq́ꝫ, tingens equidem & metallicus ſpiritus eſt. Sed Arſenicalium vita, Auripigmenti, Opermenti; Realgaris, & ſimilium, minerale & coagulatum venenum eſſe exiſtimatur, quemadmodum et vita Vndoſorum, ipſorum grauis & fœtens exhalatio, Aromaticorum entium, bonus & ſuauis odor, Dulcedinos arum verò rerum, tingens & ſubtilis dulcedo, Reſinarum, Carabe, Therebinthinæ*

*& Gum-*

*& Gummi, mucilaginoſa ac nitens pinguedo. Herbarum, Radicum, & fructuum, liquor Terræ, Lignorum omnium, Reſina quædam, Oßium autem, liquor Mumiæ. carnis, & ſanguinis, ſpiritus Salis eſſe arbitrantur. hæc igitur incorruptæ ſubſtantiæ, indicia tibi ſunto. A. o ho amabò, quæ cerebroſæ enunciationes ſunt hæ? Theutonicæ ne? Boemicæ ve? D. non quidem quòd ſciam, ſed Spagiricæ. A. his ne demoniacis dictionibus, homines faſcinantur? D. non ſanè homines, ſed ditißimorum crumenæ. A. qui demens eſt, hac affici iactura facilè poteſt, ego autem huiuſmodi detrimentum haudquaquàm experiar. interea vt mihi obſcurarum dictionum ſignificationem aperias, rogo te quàm ſuppliciter valeo. D. non poſſum curioſißime Achryuaſme, tibi quidpiam denegare, ideo pro comperto habebis, quod Grauus, apud Chimicos, lapis eſt Porphirites, cuius vſus vt Marmoris in arte Spagirica, ad ſpontaneas rerum ſolu-*

*tiones,*

*tiones, potiſsimùm eſt idoneus. Chachimia autem, dicitur immatura Metalli minera, vel ſemiperfectum metallum, & nondum a natura abſolutum, quod adhuc in prima ſua entitate, vt infans in vtero matris deliteſcit; Talch verò, eſt materia pellucida, ſplendens, & clara, Vnionum inſtar, tenuiſsimis folijs compacta, & ſciſsilis, cuius quatuor ſpecies exiſtunt, alba ſcilicet, rubea, flaua, & nigra. Verum Cobole, Cobaltum, vel Cobletum, eſt metallica materia, Plumbo, & Ferro, nigrior, ſplendore carens metallico, liquationem tamen, & malleationem admittens. præterea, Zinch, eſt Metallica Marchaſita, & mixtura quædam naturalis, ex quatuor metallis immaturis, cuprea potiſsimùm apparet. Itidem Zuuiter, vel Zytter, Marchaſita eſt, Vuiſmadt autem eſt leproſum, rude, non tractabile, uel malleabile Stannum, liquabile tamen. Opermentum verò, ſeu Operimenthiolim, eſt minerarum ſpiritus. & Realgar, ex proprio*

*ſignificato, mineralium fumus eſt, ſed methaphoricè ſumptum, vitioſa in humano corpore natura erit, ex qua naſcuntur potiſsimùm vlcera, & quadruplex, iuxta elementorum numerum eſſe cenſetur, vt Realgar aquæ, ſpuma natans ſuper aquas, Realgar terræ, Arſinicum, Realgar äëris, terreniabin, & Realgar ignis, coniunctio ſaturnina nuncupatur. tandem Vndoſa, quorumuis animalium excrementa eſſe dicuntur. A. iam quicquid de aſsiſtentibus ſignis ſpagiricè dixiſti, ad vnguem intellexi. D. & ita proprietates illas, quas mixta omnia ob ſpecificam formam, & cæleſtem influxum, bonum vel malum inſitas habent; modò ſubſtantia incorrupta maneat, facilè aſſequimur. A. & tu, influere Cœlum quidpiam mali fortaſsè autumas? D. influxum quo ad nos, non autem cælicæ poteſtatis reſpectu, malum dixi. nam vt quo metaphiſicæ Auerroes adnotauit, neque malum, neque peccatum, neque corruptio, in rebus diuinis &*

*ſempi-*

*ſempiternis, ſed in natura mortalium omninò eſt, ideo ſi ſpecificæ formæ qualitas mala, concurrente cœlo fortè fortuna ſit; id non per ſe, ſed ex accidenti contingere exiſtimatur, & ſi aliorum comparatione, ea facultas mala cenſetur; reſpectu tamen materiæ in qua adminiculante cœlo ineſt, bona erit. idem inſuper & elementa facere prima, quando ad inuicem componuntur, non ignoramus. quamuis enim ex eorumdem ſubſtantiæ qualitatumq́ miſcella, tale mixtum producatur, quòd alterum forſan elementatum corrumpit; non tamen hoc eſt ex naturæ inſtituto primario, ſed vt eo modo quo decet, ſuum duntaxat proportionatum eſſe, ipſum ens aſſequatur, verùm ex formæ ſimilitudine, ſympathia, ex eiuſdem verò diſſidentia, oritur antypathia. vnde entis alicuius ſpecifica forma, alterius formæ, aut aßimilari, aut inimicari adeo poteſt, vt ex toto, vel parte, vna ab altera, vel conſeruetur, vel deſtruatur; quemadmodum in*

*Herculeo Lapide videre licet, nam ſimilitudine formæ qua ſuaptè natura cum Ferro habet, ipſum amplectitur, Adamas uerò, contrarietate quadam, Magnetis vim reſtringit; Allium autem, eum ſtupeſcere facit, ac Hydrargyrum, huiuſmodi Lapidi prorſus adimit poteſtatem. A. doctiſsimè quidem omne quod ad ſecundum ſpecificæ formæ modum ſpectabat, hodie abſoluiſti, & id etiam forſan, quod nemo prædixit, inter operationes ſpecificæ formæ, multùm intereſſe, tuis ex dictis rectè collegi, adeo quòd, virtutes à primo modo dependentes, prorſus eſſe à ſecundo diſtinctas, haud amplius ignorare dicam. præterea, heſterna die a te etiam accepi, quod ad eliciendam ſpecificæ formæ virtutem, quàm mixtum per primum modum naturaliter obtinet, eiuſdem ſubſtantiæ per innatum animantis calorem alteratione opus eſt, nunc vellem ò doctiſsime Dynachryſe abs te audire, an etiam ad ſecũdi modi facultatem explicandam,*

dam,

*dam, ēlaboratione materiæ indigeamus. D. non equidem, imò virtutes huiuſmodi mixto tantum ineſſe tibi iam dixi, dum in qua reſident ſubſtantia, alteratione aliqua non afficitur. A. vt igitur virtutibus ijs vtamur, res illæ quibus inſunt, manducandæ non ſunt? D. non inquàm. A. ſed quomodo obſecro eæ facultates poterunt obtineri? D. appenſione, directo aſpectu, ſimplici contactu, ac mediato. generaliter loquor o Achryuaſme, non ſolum quò ad nos, ſed etiam omniū rerum comparatione, quæ vel iuuamen, vel detrimentum, ab illa ſpecifica forma accipere valent. A. apertius loquere, mihi parce, cùm id quod ais, haud intelligam. D. tibi iam iam obtemperare conabor. Sciendum eſt igitur, quod poſt diuturnam conſiderationem, dicere ſum auſus, quòd quadrifariam valent ſpecificæ formæ facultates per ſecundum, ſcilicet, modum antedictum, ex vno ente in aliud, conſeruationis, aut corruptelæ gratia, prodire. proxi-*

*mitate*

*mitate ſcilicet , ſuſpenſione , contactu mediato , & immediato ; Vicinitatis autem exemplum , ex quibuſdam plantis , & ſtirpibus , vt ex Mirto , Quercu , Olea , Braſsica , vite vinifera , Ruta , Origano , & Cyclamino , facilè deſumi poteſt ; Videmus enim , quod Mirtus propè Oleam ſerta , mirificè creſcit , quinimò ſimilitudinis gratia , vna ex alia planta ſibi proxima , pulchritudinem accipit , contra verò , tam pertinaci odio ſe ſe proſequuntur Quercus , & Olea ; vt non ſolum non uiuant , neque germinent , ſi vnius in ſcrobe , altera ſeratur ; ſed etiam ſe inuicem interficiant , ſi fortè propè oriantur . nec minor inter Braſsicam , & Vitem viniferam cernitur antipathia , quandoquidem obſeruatum ſit , Vitem ad cuius radices plantata fuerit Braſsica , non paruo interuallo ſponte ſua effugere . nec ſecus Braſsicā , oderunt , Origanum , Ruta , & Cyclaminus . animaduerſum eſt enim , quòd ſi iuxta prædicta ſeratur Braſsica , confeſtim cadit , to-*

*taq;*

*taq́ contabeſcit. A. quo pacto entia pro-ximitate ſua afficiantur, iam optimè perce-pi. D. quòd mediati etiam contactus occa-ſione, ſpecificæ formæ vis diffundi poſſit, Tor-pedo ipſa quæ piſcatoris manum, Rete me-diante, ſtupidam reddit; euidenter oſtendit. Porrò, ex Alexandri Peripatetici ſummi ſententia, nihil prohibet quin ab aliquo agen-te quidpiam per medium alteretur, quam-uis alterationis eius, ſit expers medium ip-ſum, hoc enim pacto Cœleſtibus Sphæris me-diantibus, inferiora corpora Sol calfacit, ta-metſi eæ Sphæræ calefactionem ipſam non pa-tiantur. A. & hic etiam modus, liquet iam ſatis. D. at quòd ſimplex, & imme-diatus contactus, uirtutem aliquam & ipſe nobis impartiat, ex Sapphyro colligitur, qui peſtilentem & contumacem ſtatim fugat antracem. præterea ille ſanguinis lapis, Eliotropia ab Alberto, dictus, qui ab In-dijs recenter inuentis, nuperrimè nobis inue-hitur, ſolo partis contactu è qua ſanguis*

*erumpit,*

*erumpit, hæmorrhagiam ſupprimit. & ſecundum hanc viam, dumtaxat per partis læſæ contactum, facultas iſtorum operatur. A. maximam iucunditatem mihi attuliſti, dum has differentias tàm luculenter expoſuiſti. D. tandem, quòd per ſuſpenſionem etiam, ſpecificæ formæ facultate vti valeamus, Peoniæ radix, morbo quidem herculeo è directo contraria, & omnia ea quæ Græcis* περίαπτα, *Latinis verò Amuleta dicuntur, ſatis declarant. quæ autem, ſuſpenſione, ſuas in nobis exercent virtutes, affectæ partis contactum, haudquaquàm expetere videntur. A. & hoc etiam ſumma cum voluptate audiui. D. animaduertendum tamen eſt, quòd ſpecificæ formæ virtus, per ſecundum ſcilicet modum, à quouis mixto in alterum emanans, lucis inſtar, quæ luminoſorum corporum præſentia, ſe nobis oſtendit, diſceſſu autem occultatur à nobis; pari etiam modo, quatuor his vijs poſtremò dictis, ſi præſens res eſt qua ineſt facultas, & ipſa*

*operatur,*

*operatur, ſi autem remoueatur, eiuſdem formæ itidem actio explicari non poteſt. quinimò ſimul cum ea virtus præpediri, par quidem eſt, dummodo vel conſtans prius corruptio, vel permanſibilis optimaq; affectio, non ſit iam derepentè in paſſo, vel longo temporis ſpatio, introducta. A. hactenus mi Dynachryſe, modos omnes in genere, quibus ſpecifica forma ſuas in nobis proprietates impartit, doctiſsimè admodum percurriſti, & omnia quæ dixiſti, mihi ſummoperè arrident, ſed ſcire vellem vlterius, num Auro per ſecundum ſpecificæ formæ ordinem, facultas quædam inſit, quæ aliquo modo ex his quatuor ſupradictis, obtineri poſsit a nobis. D. Scito igitur curioſiſsime Achryuaſme, multos eſſe Auctores, qui mirificè Aurum extollunt, multosq; me perlegiſſe ſcriptores, qui huiuſmodi metalli vim, vnico ore multifaciunt, & diuerſimodè ipſo vti non erubeſcunt, ſed nullus, quod ſciã) audacius Plinio, id quod nunc petis, nobis*

*ſcriptum reliquit. porrò verba eius, trigeſimi tertij libri naturalis hiſtoriæ quarto capitulo explicata, ita ſe habent. Aurum plurimis modis pollet in remedijs, vulneratisq́ & infantibus applicatur, vt minus noceant quæ inferantur veneficia. eſt & ipſi ſuperlato, vis malefica. Gallinarum quoque, & Pecorum fœturis, remedium eſt abluere illatum, & ſpargere eos, quibus mederi velis. hæc ille. A. Et tu quid dicis? credis ne hoc? D. certè quòd Plinij dicta penitus negare ſim auſus, te expectare video. A. ohe, huic forſan viro, contradicere velles? D. maximè ſi libet. A. & qua ratione ductus? D. quia multa quæ erant probanda, ipſe ſupponit. A. & quænam ſunt? D. primò, quòd Aurum per ſecundum ſpecificæ formæ modum, proprietates impartiat: ſecundo, quòd inſita facultas, ſit nobis amica: tertiò, quòd particularem cum omni liquore, hoc metallum teneat ſympathiam, quartò, quòd ſuperficiaria ſit, illa virtus, ita*

quòd

*quòd lectione ſimplici, facilè effluat, poſtremò, quòd in aqua verbi cauſa qua abluitur, Auri forma diu permaneat, quamuis ex quarto metheorologicorum, nec non de generatione ſecundo, humidum ſtatim amittere formas, haudquaquàm ignoremus, ſunt ne hæ ſecundum te ſuppoſitiones illico concedendæ? A. poſtremæ quidem abſurdiſſimæ ſunt, ſed primas ſaltem pro nunc admitte. D. Vis nè aliud mi Achryuaſme? dic mihi obſecro, cœlica illa Auri facultas, amica nè nobis ſuaptè natura, an aquæ potius exiſtimatur? ſi ſuam nobis virtutem amicum Aurum oſtendere poteſt, proximitate quidem, ſuſpenſione, immediatoue contactu, vtique afficiet, & inſtitutam abſque aqua operationem exercebit. ſi verò cum ea tantùm neceſſitudinem habet, nobiſcum igitur nihil valet, & fruſtra eius aſperſione vtemur. A. mihi videtur, quòd inſtantijs huiuſcemodi Plinium obiurgas iniuria, non nè Aqua nobiſcum, & Auro,*

*Aurum uerò cum nobis & Aqua, ſympathiã tenet? ita certè, ſi igitur per Auri lotionem, Aquæ prius communicetur facultas, quid obſtat quin huiuſmodi mediato contactu nobis quidem amico, Auri vi potiri valeamus? D. vah, Plinij amor te cæcutire facit? Aurum me tangit, & ego Aquam attingo, igitur Aquæ, vis aurifica prorſus ineſt? ò quàm benè ſolœcizas, vniuerſæ profectò Aquæ, vt euadant aurificæ, iam iam dulciſsime Achryuaſme, tua artificioſa Magia effectæ ſunt. Rurſus aqua tetigit Aurum, & aſperſio eius, quæ ab Auro diſcreta eſt, Aerem tangit, qui me contingit, ergo in me facultas Auri, delata fuit? ò res mira, ò inopinatum euentum; Torpedo piſcis in aqua reſidet, Aqua Aerem tangit, & ipſe manum, igitur Aer ſtupidam reddit manum? A. da mihi veniam, verborum enim dulcedine, Plinius me ſeduxerat, quamobrem aſperſionem ipſam rationibus adductis non amplius multifacio. ſed dic mihi ſi libet,*

*non*

*nonne cum Plinio eſt aſſerendum, quod Aurum applicatum, veneficijs reſiſtat? D. non quidem, multos namque infantes videre potes, quibus capiti, fronti, ac pectori, colloq́ apponitur, & mox tamen, vehementer eſſe faſcinatos mulieres exclamant. A. ſed eia Dynachryſe eia, quamuis non habeat Aurum, celebratas a Plinio proprietates, nonnè ſpecifica ſua forma, cor languidum roborandi, melancholiam curandi, vitamq́ producendi, facultatem habet? D. ò Achryuaſme chariſsime, quòd primis a te relatis facultatibus Aurum ſit præditum, vt tibi gratum faciam, libenter aſſentior, lætificatur cor, & tetra melancholia ex ambitu totius propellitur, non quando ab alijs Aurum mutuatur, per contactum enim tãtùm, mediatum vel immediatum, appenſionemq́ directumvè aſpectum, quicquam boni haudquaquàm operatur, verum quando ingentem ex huiuſmodi metallo; Arcam refertam habeas, & tui ſit iuris, gaudium profectò*

*affert,*

*affert, & melancholiæ amurcam apprimè detergit, vulgi namque abuſu, cui maiores honores Auro tribuere placuit, inter prælia belli id te ſuccurrit, pace ſubuenit, fœcunditate rerum, delicias adauget, annonæ penuria, opem fert, iuuentute autem, luxum, & epulas, & nocturnos cœtus, ad voluptatem præbet, ſenectute verò multa bona profundit, mundanis voluptatibus, & ſolatijs, ſemper aßiſtit, ac pijs operibus, & laudabilibus actionibus, opitulatur, at quòd contactu carnis, vitam quandoque proroget, non eſt vt affirmemus, cum illi qui ſimplares duplaresq́; torques iugiter collo circumgeſtant, & adoleſcentia ſua ephebi expirant, hanc ſententiam è medio tollant. A. proh Deus immortalis, tuis rationibus planè, neque tantillum ex tuo inſtituto, ſubuertere potui, ſed dic amabò cur potentißimi Reges, Imperatores inuictißimi, ſummiq́; Pontifices, huiuſcemodi Auro aßidue decorantur? D. non quòd præſtantia ſua, vt dicunt,*

*cunt,*

*cunt, cæteris rebus antecellat, non quòd quidpiam ſanitati proficiat, Neſtoreosvè annos procuret, ſed ornamenti dumtaxat cauſa, ipſo præ cæteris vtuntur. A. vtinam mihi ad libitum datum eſſet. ò exoptabile Aurum, ò incomparabile Metallum, tu vniuerſos homines incolumes reddis, tu Excelſos Principes tuo fulgore & ſplendore inſignis, dita etiam quæſo & exorna domicilium ſeruuli tui. D. Hui Achryuaſme, conſultò deliras? cur Auri cupiditas, hodie te deſipere fecit? dic potius, ò aſpernabile Aurum, ò deteſtabile Metallum, tu corporis valetudini nihil proficis, tu mentis pulchritudini multùm officis, procul abi, ò mortis præconium, & miſerrimorum hominum immanis occiſor. A. & quid morti cum Auro? D. quid? non nè vitam cum morte, Auri ſæpè foßione, commutant operarij? audi Plinium loquentem; Tertia ratio, inquit, opera vicerit Gigantum, cuniculis per magna ſpatia actis, cauantur Montes, ad*

*lucerna-*

*lucernarum lumina, eadem menſura vigiliarum eſt, multisq; menſibus non cernitur dies, Arrugias, id genus vocant, ſiduntq; rimæ ſubito, & opprimunt operarios, vt iam minus temerarium videatur, è profundo Maris, petere Margaritas, tanto nocentiores fecimus Terras. Relinquuntur itaque fornices crebri Montibus ſuſtinendis, occurſant in vtroque genere ſilices, hos igni, & aceto rumpunt, ſuperius verò, quoniam in cuniculis vapor & fumus ſtrangulat. cædunt fracturis, C. L. ferri terram agentibus, egeruntq; humeris, noctibus, ac diebus, per tenebras proximis tradentes, lucem nouißimi cernunt, ſi longior videtur Silex, latus ſequitur, Foßam ambit quiete, tamen in Silice facilius exiſtimatur opera, eſt namque terra ex quodam Argillæ genere, Glareæ mixta (candidam vocant) propè inexpugnabilis, Cuneis eam ferreis aggrediuntur, & iiſdem malleis, nihilq; durius putant, niſi quòd inter omnia, Auri fames*

*duriſsima*

M. T. AKADEMIA KÖNYVTÁRA

*duriſsima eſt; Peracto opere, ceruices Fornicum ab vltimo cadunt, dantq́ſignum ruinæ, eamq́ ſolus intelligit, in cacumine Montis eius peruigil, hic, voce, ictuvè, repentè operarios reuocari iubet, pariterq́ ipſe deuolat; Mons fractus, cadit a ſe ſe longo fragore, qui concipi humana mente non poſsit, & flatu incredibili, ſpectant Victores, ruinam Naturæ, nec tamen adhuc Aurum eſt, nec ſciere eſſe, cum fodère, tantaq́ ad pericula euincenda, fuit ſatis cauſæ ſperare quod cuperent. hæc ille. A. at cur Aurum Tabernaculi multa mandante Deo conſtruxit, ſi labore ſemper tanto, nonnullorumq́ hominum morte effodiatur? D. ſumma Dei bonitas, miſericordiaq́ in cauſa fuit, quæ huiuſcemodi metallo, Aurei Vituli crimini clementer ignoſcere voluit, piè quidem ſtatuendo, vt Aurum quod ſummum Hebræis produxerat exterminium, optatam ueniam, pacationemq́, iiſdem occaſionaliter impetraret. A. quomodo mi Dynachryſe hoc*

*potes vnquàm aſſerere, ſi ante Vituli delictum, Tabernaculi conſtructio mandata fuit? D. non ignoro mi Achryuaſme, Tabernaculi præceptum 25. capite Exodi libri 32. Vero eiuſdem Vituli peccatum legi; ſed Vitulum ante Tabernaculi mandati repetitionem, vtpote 35. capite habitam factum fuiſſe, vt ſcias velim. A. at ego auctoritatem potiorem, atque euidentiorem excuperem, qua Deum non expetere Aurum vt ſic, apertè cognoſcerem. D. res eſt in promptu, nam pro cõperto iam habes, quod apud nos dies ſolemnior ſeptimi menſis decimo expiationum dicto, nunquàm reperitur. eo namq; tempore, ſemel tantum in anno, ſummo Pontifici permittebatur, vt ſanctuarium intra Velum coram Propitiatorio quo tegebatur Arca, ingrederetur, vt Leuitici 16. capite, ſcriptura docet. Si Aurum itaque Deo præ cæteris rebus gratum exiſteret, aureis proculdubio ueſtimentis tunc ipſè Pontifex indutus eſſet, ſed res oppoſito ſe habet*

*modo,*

*modo. nam aſſuetis aureis indumentis, ſummus ſacerdos exuebatur, lineis autem, ac inaſſuetis amictibus, ſanctitudinis nomine decoratis, induebatur. quòd verò ita ſit, audi Oraculum Domini ita ibidem loquens; Tunica linea veſtietur, fœminalibus lineis verenda celabit, accingetur Zona linea, Cidarim lineam imponet capiti; hæc enim veſtimenta ſunt ſancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. A. huic opinioni tuæ, non mediocriter verba conſonare videntur, Attamen vulgares homines, ita ſuſpiciunt Aurum, vt dum aliquid extollere volunt, Auri nomen ipſi attribuant, vnde propter excellentiam primæ ætatis, illam Auream nuncuparunt. D. & tu ætatem illam bonitatis ratione, auream nuncupari fortaſſe putas? A. quid obſtat? D. quid? multa, & impia facinora, multæ, & peruerſæ actiones, ò gens nefaria, ò demoniaca progenies. A. num ea ſomniaſti, quæ vigilans mente concepiſti? tibivè ſomnia fingis?*

*D. quale ſomnium? qualis fictio? ſcripturam ignoras? Adam primus homo, primus fuit tranſgreſſor, Cain inſuper fratricidam fuiße, Lamech verò ſcortatorem ſimul ac homicidam, probè ſcimus? Sed & Fily Dei, non ne libidine ſumma, ex omnibus quas elegerant ſibi vxores acceperunt? non nè ob nimiam hominum malitiam, pœnituit feciſſe hominem? non nè quia omnis caro viam ſuam corrupit ſuper terram, deleuit Deus omnem ſubſtantiam quæ erat in hoc ſeculo, ab homine vſque ad pecus, reptileq́, ac volucres cœli? Nota Cham impudentiſsimum, & maledictum, Nembrod regem, immitem robuſtumq́ venatorem coram Domino, ſceleſtosq́ homines Ciuitatem & Turrim conſtruentes, ac tandem Gigantes proteruos, de quibus, & poetæ prolixum ſermonē faciunt; quid enim aliud (ſtatura eorum ſalua) Gigantes fuiſſe credendum eſt, Macrobio primo ſaturnaliorum lib. capitulo ſecundo aſſeuerante, quàm*

*homi-*

*hominum quandam impiam gentem, Deum negantem, illamq́ꝫ, Deum pellere de cœleſti ſede voluiſſe? hanc forſan Auri ætatem quia bona fuit, & fida, vocitari arbitraris? non ne ſcelerata, temerariaq́ꝫ dici meretur? A. ſed cur eſt quod tali nomine inſignitur? D. quia Auri inſtar quod longè tardius quàm cætera metalla corrumpitur, & ipſi præ cæteris, vitam protrahere ſolebant; ita enim Geneſis quinto ſcriptum inuenimus, & factum eſt omne tempus, quòd vixit Adam, anni nongenti, & triginta, & facti ſunt omnes dies Iared, nongenti ſexaginta duo anni, & facti ſunt omnes dies Meduſcelæ nongenti ſexaginta nouem anni &c. A. de ſolaribus Annis loqui fortaſſe autumas, cum multi, hos Lunæ dumtaxat reuolutiones, eſſe cenſeant? D. exorbitant, & a uera via depulſi ſunt. Lycabantici enim erant anni, nec lunares curſus, nec Arcadum, vel Acarnanum numerum tantùm ſequebantur. A. viſne vt tibi vni abſque demon-*

*ſtratione*

*ſtratione credam? D. ſacram conſule ſcripturam, & intentum habebis. A. quo in loco id exquirere poſſum? D. Geneſis ſeptimo & octauo capite, vbi de Cataclyſmo agit. A. affirmas igitur quòd ipſa Natura (vt ſummi Philoſophi verbis vtar) quæ in Auro fingendo tantùm elaborauit, quò perfectiſſimum vndequaq; opus conflaret, regemq; metallorum omnium conderet, nullas omnino vires pro tutanda, ſeruanda, reparandaq; hominum ſalute, profligandaq; aduerſa valetudine, huiuſcemodi metallo præſtiterit? D. & quidni? ſi tanta nobis (vt ſupra dixi) commoda præſtare valet? Vis forſan vt ſolum vulgare Aurum, omni prorſus polleat poteſtate? Memento, quòd triplex eſt Aurum, nec niſi vni ſanè datur, id, quod propriè duobus alijs debetur. A. ſed quomodo triplex eſt? D. Aurum vulgare de quo hactenus fuit ſermo, vnum exiſtit, alterum verò Chimicum, & tertium Diuinum ferè eſt. primum, ea cuncta quæ*

*ſupra*

*ſupra intellexiſti ſibi vendicauit. ſecundũ, vt vitam producat, melancholiam propellat, valetudinem reparet, tueaturq; ipſam, ab arte obtinuit, tertium verò omnia cùm diuina fermè tùm humana adamuſsim amplectitur, ita vt etiam qui ipſo potiuntur, imperandi facultatem adipiſci cenſeantur. & de hoc Auro Plato tertio de Republica intellexit, dum ait, ſed cum Deus formaret quicunque noſtrum ad imperandum idonei nati ſunt, Aurum in ipſorum generatione ipſis admiſcuit, propter quod honoratiſsimi ſunt. ſic namque Ariſtoteles ſecundo politicorum tertio, dum eius placitum reprobat, eum ſenſiſſe declarat. non enim aliorum modo (ait) & modo aliorum, miſcetur animis Diuinum illud Aurum, ſed ſemper eiſdem. A. Si igitur vulgare Aurum, tuum o Dynachryſe fugit hoſpitium, culpa quidem uacare mihi videtur, cum totis viribus id refellas. D. abeat in horam malam, nam ea tantùm, quæ animam ad beatitudinem*

*ducunt,*

*ducunt, propria ratione ſunt affectanda. A. etſi Aurum etiam haberes? D. bonum tibi videtur eſſe Aurum habere? A. valdè quidem. D. & habere pecunias, ſemper, vbiq́; & in te ipſo quàm maximè? A. maximè. D. beatiſsimus ergo eſſes, ſi tria Auri talenta, in ventre haberes. Talentum vnum, ſub capitis oſſe. ſtaterem autem, id eſt Numum quendam, & pondus Auri, in vtroque oculo. A. oh, quò ego me induxi, tu Dionyſodorus fuiſti, ego autem Cteſippus. D. vtinã te verberare poſſem, Platonis enim Euthydemum lectitaſti, & hanc fallaciam ibi conſcriptam non euitaſti? A. par pari & ego aliquãdo referam. ſed hæc nunc dicta ſufficiant, atq; otio frui in præſentia liceat. At craſtina die, loricam impenetrabilem indues, quia periculoſam inire pugnam mecũ debebis, cuius equidem rei, te admonitum eſſe uolo. D. tu igitur Haſtam & Gladium, Telaq́; ſtrenuis militibus aſſueta, afferes, ſi ut ais, in dimicationem pergere cupis.*

# DE AVRO
# DIALOGVS TERTIVS.

Achryuaſmus. Dynachryſus.

*A.* QVID *in Muſei penetralibus occluſus agis, o Dynachryſe, ut cum ego fortiter pulſem me non audias? D. mortuos alloquor, ſingulariq́; ſtudio ipſos adiuro. A. hui chariſsime, animam nè tuam amittere quæris? D. id Deus auertat. A. aperi quæſo, ne ſub dio diutius me detineas. D. contrude Fores, & illicò aperientur. A. bona dies mi Dynachryſe, o res mira, ſebaceus cādelabro funiculus, interdiu apud te ardet? D. ita Arioli, Malefici, incan-*

*tatoresq́; , & illi qui a mortuis ſæpè verita-tem exquirunt , facere conſueuerunt. A. iocaris nè Dynachryſe , an ſeriò loqueris? & qualenam cum mortuis , negotium habes? D. an ipſi mortui auxilium mihi viuo præ-ſtare valeant , planè tentabam , ſed ita mi-ſer infortunatusq́; ſum , vt graui moleſtia per viuos afficiar , mortuiq́; , nullatenus mi-hi patrocinari videantur. A. ſed ipſi mor-tui vbinam ſunt? D. adhuc ſomno deti-neris? non nè domicilium refertum illis iam cernis? A. hem , inſcitiam nunc meam agnoſco , tu libros voluis , & ſermonem te habere cum mortuis , arbitrabar. D. pro-cul hinc abeant mortui , nulla enim cum eis mihi intercedit affinitas. A. ſed qui nam illi ſunt viui , qui tibi , vt ais , vim inferre co-nantur? D. tu equidem , qui maxima pro-teruitate vt aſſeram de vulgari Auro quod non exiſtimo , me violenter compellis. A. vmbram tuam metuere incipis? D. non quidem. A. ſed quid eſt , quòd retrò gra-*

*deris?*

*deris? D. vt maiori te poſsim impetu vulnerare. A. hui, nondum certamen inire cœpimus. D. pauore iam es affectus? A. nunquàm deſinis me laceſsere? paululum morari non pigeat donec vadum ingrediar, & tu viriliter pugna, nè primo congreſſu, ſuccumbas. D. ſuperuacanea mihi huiuſmodi conſilia videntur, tu potius caue, ne verba cum viribus ſimul, & ſemel amittas. A. itaque ſtrenuè digladiare. D. exordiare ſi libet, hoc tamen pacto, vt ſophiſticas penitus rationes dimittas, alioquin Catadupenſes imitari non erubeſcam. A. quorſum hæc? non intelligo. D. Scipionis ſomnium a Cicerone deſcriptum, te fortè aufugit? nec eſt (inquit) nullus hebetior ſenſus in nobis (de auditu intelligendo) ſicut vbi Nilus ad illa quæ Catadupa nominantur præcipitat ex altiſsimis montibus. ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. A. tu auribus attentis adeſto, & obiectionibus reſpon-*

*dere meis, non dedignaberis, nam vanis ſophiſmatibus mentem exagitare tuam, haudquaquàm intendo. Diebus igitur iam elapſis, opinionem tuam circa medicamentorũ facultates, primas, ſecundas, & tertias, quæ ad ſpecificam formam ſpectare videntur, rectè admodum percepi, adeoq́ tua mihi placet ſententia, vt ab ea nullatenus aliorum ſuaſu, recedere poßim, & ſi obiectiones contrariæ, quàm validißimè animum ſanè concutiant. D. ſi eas in medium proferes, nos illas refellere, diluereq́ pro viribus enitemur. A. iam propè dixerim, ab ea moleſtia grauari amplius me non ſentio. dic igitur amabo, quid ad Auicennæ, Arnaldi, ac ſequacium placita, reſpondere poteris? non nè ignitum Aurum, cùm aqua, tùm vino extinctum vel in pollinem redactum, vel bracteas, vſque ad aſtra extollunt, eoq́ ad multas humani corporis affectiones propulſandas, utuntur? D. quid ais? nonne rationibus præmißis, exploſi ſunt? iam antea*

*tea vulgare Aurum ſibi locum in medico uſu non vſurpare, compertum habuiſti, nempè, ſi ob inſitas potentia qualitates, aut potius ob ſpecificam primi ordinis formam, id proponunt, huius impoßibilitatem haud ignoras. Aurum enim cùm ab innato calore non immutetur, fruſtra ebibitur, & Aqua, Vinumq́; vbi extinctum eſt, facultatem nondum receptam dare non valent, unde vulgare Aurum a ſordidis, & tetris amurcis, maßam (vt aſſerunt) expurgare ſanguineam, ſolidiuſvè radicale humidum reddere, atque ſpiritus ipſos clariores efficere, haudquaquàm poteſt. ſin ob ſecundum ſpecificæ formæ modum, ipſum collaudant, ea quæ contra Plinium, ac ſimplices eiuſdem ſuppoſitiones dicta ſunt, explorata iam habes. A. negas igitur, id quod Auerroes quinto colliget cap. 19. ſupponit, cum dixit, & quædam ſunt quæ confortant a tota ſubſtantia, ſicut Aurum, & Margaritæ, cor? D. nondum meam ſententiam percipis?*

*Aurum*

*Aurum ſuas habere virtutes inſitas, planè aſſeuero, ſed ob ſubſtantiæ impaßibilitatem, huiuſmodi virtutes non poſſe nobis proficere, hoc eſt quod maximè contendimus, procuret itaque Auerroes, vt Auri ſubſtantia, Margaritis ſimilis immutatione euadat, hoc enim tunc fiet, cum in potabilem formam, oleum, & quintam eſſentiam, reducetur, & ita Aurum cordi conferre, eaq; omnia facere, quæ iſti dicunt auctores, ipſis concedere non recuſabo. A. hoc ſanè tibi condonandum putaui, ſed quod Leuinus Lemnius lib. 3. de occultis Naturæ mirandis ſubiunxit, de locali applicatione, non nè eſſe contra ſuppoſitionem tuam arbitraris? memento quòd rationibus ijs quibus, ut intelligo defenſionem adhibere ſoles, inſtantiam hanc diluere haudquaquàm potes, quippè Leuinus, non Auri ſubſtantia, ſed vino quo extinctum ſit Aurum, exteriores curat affectiones omnes. D. & quid obſtat, quin rationibus prædictis, Leuini pſeudomethodus*

*curandi,*

*curandi, è medio tollatur? A. & ſi huiuſmodi Vinum proficeret, ſenſum negares? D. non equidem, ſed ſi ea quæ Leuinus promittit, efficere poteſt, non Auri ratione, ſed Vini, & Tartari, hoc eſſe contenderem; Vinum enim per ſe ipſum, Galeni teſtimonio tertio methodi quarto, vlceribus medetur, non inflammatosq́ nodos, Auicenna primo canone fen tertia, doctrina ſecunda, cap. 8. aſſeuerante, digerit; & Vini Fex, ex Dioſcoride Anazarbæo libro quinto, capit. 90. vlcera ad cicatricem perducit, adſtringit, ſiccatq́, tumores & per ſe ſe, & cum myrto cohibet, ventris ſtomachiq́ fluxiones, illicò ſiſtit, muliebre profluuium, imò ventri, aut genitalibus impoſita, mitigat, panos nondum exulceratos, & tubercula diſcutit, rigentes mammas, ſuiq́ lactis impatientes, cum aceto peruncta, extinguit, cremata verò, vngues ſcabros cum reſina aufert, & elota, oculorum medicamentis, vt ſpodos, adijcitur, cicatricesq́ eorum, & caligines,*

*eadem*

*eadem abſtergit, ac tandem Plinij auctoritate 23. lib. cap. 2. ad compeſcendas lichenas, furfureſq́, vtiliſsima eſt Vini fex, & lepris, & vlceribus manantibus, adhuc imponitur. A. arridet mihi valdè quod proponis. ſed quomodo Galenum defendere poſſumus, qui tùm nono meth. capitulo vltimo, tùm tertio de morbis vulgaribus commentario primo; Aurum frigidum, & ſiccum eſſe, terminauit, ſi ex Auicenna, Ficino, & Cabaliſtis, inter temperata mixta reponi debet? D. quòd Cabaliſtæ de alio quàm de diuino Auro loquuti ſint, vt illi vnquàm materiale temperamentum aſsignent, planè ignoro, veruntamen quòd Marſilius ſecundo libro de ſtudioſorum ſanitate tuenda capitulo decimo, & Auicennas ſecundo canone tractatu ſecundo, cap. 75. de Mundano Auro verba faciant, haud me præterit. A. ſed ad inſtantiam? D. Dico quòd Auri temperamentum, vel quo ad nos, vel Metallorum reſpectu conſiderari poteſt; ſi Metallis*

tallis

*tallis comparabitur, temperatum erit, & de collatione iſta ad Metalla, Auicennas intelligit, dum dicit, Aurum æquale eſt, ſubtileq́, ſi autem ad nos comparatio fiet, vel vulgare, vel ſpagiricum erit. ſi vulgare, frigidum, & ſiccum eſſe cenſetur, vnde illud Galeni, lapidum ſubſtantia, conſtans, ſtabilisq́, propter ſiccitatem, & frigus eſt, ad eundem modum Aeris, & Ferri, & Auri, & vno verbo omnium quæ ex terra ſunt corporum. hæc ille ſin ſpagiricum, temperatum eſſe aſſerimus, & de hoc doctiſsimus Ficinus intellexit; cũ ait, veruntamen oportet duriſsimam Auri ſubſtantiam, ſubtiliorem facere, penetratuq́ facillimam, quod quidem non niſi per eius reductionem in Aurum potabile, aut oleum, aut quintam eſſentiam, conſequi licet. A. ſi igitur per Galenum à frigiditate, & ſiccitate Auri conſtantiam dependere arbitramur, quomodo Metallorum reſpectu, temperatum dici poteſt, cum indomitam ſubſtantiam ſit ade-*

O ptum?

*ptum? non nè cæteris Metallis, ob id, & ſiccius, & frigidius eſt? D. nequaquàm, nam ſi a frigiditate, & ſiccitate, quæ Auri proximam materiam denſant, ſimplex eius conſtantia dependet, à perfecta nihilominus partium elaboratione, earundemq́ mi-ſtura; indomitas illa prouenit. tam enim indiſſolubili nexu, vna pars, alteri vnitur, vt permanens corpus, & ferè indiſſolubile conſletur, vnde hæc Auri perfecta elaboratio, frigidæq́ temperiei adueniens, quæ è directò putrefactioni contrariatur, in cauſa fuit, vt ipſum Aurum cæteris Metallis diutius conſeruetur. A. & quomodo per te, frigida, ſiccaq́ Auri qualitas, ignis caliditati, ac ſiccitati, reſiſtere valet, ita vt cauterium nobile, vt Auicennas innuit, citiusq́ ſanabile efficiatur? D. ſi vnquam id dixi, Galli matrem, Gallinam ſcilicet, donare tibi polliceor. is igitur celeberrimus Philoſophus, eſt arbitratus, me huiuſmodi puerilia cogitare? abſit. A. ita me Deus*

*amet,*

*amet, vt ipſe hoc aſſeuerat. D. Sed quia Chariſsime Achryuaſme, præter alias dotes quas nactus es, Cyri memoriam te obtinere compertum habeo, vt præcisè eius verba mihi pronuncies, etiam atque etiam rogo. A. hæc ſunt videlicet, ſed obſecro, quæ maior frigiditas aut ſiccitas (de actu apparentibus loquor) Auro ineſt, quàm Ferro, aut Argento? non igitur tutius, melius, ac velocius ſanabile Cauterium ab Auro efficitur ob maiorem frigiditatem, aut ſiccitatem. nam parum abeſt quin Aurum, Argentum, Ferrum, æquè tactui frigida, æquè ſicca ſe ſe præſtent, neque etiam ob maiorem ab igne impatibilitatem (vt veſtris vtar verbis) cum etenim nihil aliud ab igne patiantur, quàm igniri, & incandeſcere, ita vt Cauterium in carne efficere poſsint, non enim agunt temperamento, aut qualitatibus, quæ poteſtate ipſis inſint, vt vos oſtendere conamini, ſed actu tantùm exiſtentibus, æquè autem hæc igniantur, æquè incandeſcant, ri-*

*diculum ſanè erit, ob impatibilitatem ab igne, velocius ſanabile Cauterium ab Auro fieri aſſerere, ni fortè à Ferro, Argentovè aliquid effluere, quòd aut venenum, aut prauam qualitatem ſapiat, contendant, ſed quid tandem temporis momento, quo Cauterium inditur, ab his deponi poteſt? Sed ſi fortè aliquid ab his decidi, ac imprimi exiſtimant, quamnam prauam qualitatem, aut venenum uim inferre poterit Ferrum ipſum? cuius recrementum venenis obſtare tradidere Dioſcorides, Aetius, & Paulus Aegineta? quid de Argento cenſent? cum Iidem Auctores vinum in quo aut Aurum, aut Argentum, aut Ferrum, extincta fuerint, æquè his qui Aconitum ſumpſerint, conferre aſſeuerent? hæc ille. Sed tua verba quænam fuere? D. hæc, nimirum cauterium tamen nobile, vulgare Aurum, & velocius ſanabile, quidem facit, non quòd in carnem ipſam vllam Auri facultatem imprimat, ſed quia ex metallica quadam ſiccitate refracta,*

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA

*fracta, & ignis impaſſibilitate, vt diximus, contumacem eſcharam non producit, oris etiam graueolentiam tollere videtur, non equidem ſemper, & ex innata potentia, cum non actuetur, ſed fortè quando ex cuticulæ internæ intemperie, calore extraneo in ea, humidoq́; exuperante, vitium procedit, eſt enim Aurum frigidum & ſiccum vt Galeno placuit, itidem in tenuiſſimum puluerem redactum, Alopecias ſanat, oculumq́; affectum Auicenna aſſeuerante roborat, non ex interna noſtri caloris vi, eiuſdem nobis Auri facultates ſubminiſtrante, vt aliqui autumant, ſed ex Auri ſcobe, & ſiccitate ſua, qua actu abſque caloris ope, excrementa ſub cute contenta exiccantur, & cutaneorum pororum, & membranarum tranſpirationes, inhibentur. Hactenus verba quæ iam prædiximus. Nos igitur iſtarum omnium actionum cauſam, haudquaquàm in Auri tãtùm qualitates referri putamus, ſed modò in ipſas, modò in eius materiale*

*corpus,*

*corpus, ſi enim ex ſententia noſtra, oculorum paßiones oriſq; fœtorem à calida & humida cauſa prodeuntes, frigida & ſicca qualitas curare valet, materiale Auri corpus, ſiccitate præſertim actuali deuinctum, Alopeciæ (vt diximus, medetur) quod itidem corpus, cauterium nobile, citiusq; ſanabile vtique facit, ex eo quod contumacem eſcharam non inducit, ob ſiccitatem namq; refractam (tanta enim Aurum, ac Ferrum ſiccitate præditum eße non arbitramur) caloris vim contractam citò deponit, & ex clauſione pororum, qua igne Aurum domari nequit, non niſi in ſuperficie calorem ignis experitur, vnde extimam carnem dumtaxat, afficere ualet, & ſatis etiam leuiter dubio procul incendit, non autem intimam neque circumiacentes partes, vt Ferrum facere natum eſt, excellenter exurit. Quod ſi Aurum pari paſſu ac Ferrum, igne excãdeſcere affirmares, toto ſanè Cœlo Achryaſme aberrares. A. valdè equidem Dynachryſe,*

*nachryſe, mihi quod nunc dicis arridet, ſed tu qui cauſam aſsignare conatus es, qua propulſare Aurum valet, affectiones ab Auicenna deſcriptas, num ex intentione, conſultoq́ꝫ, doloribus cordisq́ꝫ paſsionibus, Aurum opitulari, Melancholicisq́ꝫ mederi, præteriſti, vel fortè potius corruptum mancumq́ꝫ, Auicennæ textum offendiſti? D. te valde admodum miror curioſiſsime Achryuaſme, non ne ſemper ex dictis meis, vulgare Aurum alteratione quadam actuali operationes exercere, nullisq́ꝫ vt Auicenna eſt arbitratus, ex ſui potentiali virtute affectionibus mederi, percepiſti? non ne apertè (rationibus tamen innixus) has Vulgaris Auri poteſtates, me denegare audiſti? vis forſan, vt impoſsibilem curationem admittam, & cauſam cur melancholiam, & cor affectum curet, referam, ſi non curat? A. non iniuria igitur id à te fuit omiſſum, ſed ſi ad hanc inſtantiam quam nunc afferam, reſponſum adhibere non poteris, ſcito, quòd*

*illicò*

*illicò tibi ſtatua publico erigetur foro, cuius mento irriſionis gratia aurea barba erit appoſita, cùm nunquàm vulgare Aurum deſinas execrari. D. oh, oh, oh, oh, cur Aurea barba? A. in riſum irrupiſti? eadem ſane barba te inſigniri æquum erit, vt te inuito, Aeſculapij barbam imiteris, qua Auri dignitas ſuperiori ſeculo prædicabatur. D. quorſum hæc? non intelligo, rem declara. A. fortè ignoras, quod Auream Aeſculapio barbam veteres poſuere, quo Auri ſummam in medica facultate, ac remedijs auctoritatem dignitatemq́ue, quam homines Barbis præ ſe ferunt, nobis oſtenderent? D. hui, & hanc hiſtoriam memoria rectè non tenes? A. & qualem? D. ſcias velim, quòd cum Aeſculapius eſſet Phœbi filius, et antiquitus in Deorum numerum relatus, ſtatuam patris inſtar, primi homines illi erexerunt, Phœbus autem, & iuuenis ſemper, & imberbis fuit, qua ratione in Templis, adoleſcentis imaginem ſimulacra eius*

*imitaban-*

*imitabantur; Aeſculapius autem, vice uerſa, longam aßiduo obtinuit barbam, & vt maiorem ſuam ob canitiem dignitatem ſignificarent, ſtupeam fortè barbam, ſtatuæ eius veteres appoſuerunt. euenit autem, vt feſtiuo die, Dioniſius Siracuſanus, & patris & filij ſimulacra, Phano quodam propè eſſe videret. Dioniſius itaque, eorum hominum inſaniam egrè ferens, ſumpta ab Aeſculapij barba occaſione, iuueni enim patri, indecorè erat ſeniorem filium iuxta ſe habere, ipſam ſuſtulit, & hoc quidem (Antiquorum Illuſtrium auctoritate, & nobiliſsimi Domini Vincentij Cartarij in libro cui titulus de Deorum ſimulacris, teſtimonio) a veritate non decedit. Confremuere itaque omnes, & vt emendarent factum, multi lugentes eò acceſſerunt, ex his, nonnulli, vt aliquando in conſimilibus rebus fieri contingit, tiranni mores accuſabant, nonnulli uerò, Dioniſio patrocinabantur. cum verò inter hos de huiuſmodi actione lis*

*eſſet exorta, alij in diſsimilitudinem materiæ referebant opus, quippè Aeſculapij ſtatua Aurea erat, barba uerò (vt diximus) ſtupea, alij in canitiem temeritatem adſcribebant. pater namq; iuuenis effigiem, filius verò annoſi hominis imaginem, imitabatur; alij, quia capillata, & ex ſubſtantia corruptibili contexta, à Dioniſio fuiſſe exciſam, contendebant, cùm frequentiorem barbæ reſtaurationem ipſorum Dominus tædio haberet, quamobrem poſt multa verba, ne in idem diſcrimen Aeſculapij barba amplius incideret, ut eſſet Aurea annuentibus omnibus ſtatuerunt. hanc enim ſolam, ſe à Dioniſio tueri arbitrabantur, namq; Aurea barba, Auream ſtatuam æmulabatur, color flauus, Apollinis iuuentutem non damnabat, ac incorruptibile metallum, reconcinnationem barbæ aſsiduam non requirebat.*

*A. & Dioniſius ille, quid tandem fecit? ipſam ne amplius decurtauit? D. non, quia eidem Aeſculapio, barba Aurea vt ſuam*

*nota-*

*notaret auaritiam, rectè adaptari cenſebatur. A. & Aeſculapius auaritiæ vnquàm vitio, notatus fuit? D. tu tertium Platonis Dialogum de Republica, nuper Apologiæ præſtantiſsimi Philoſophi occaſione perlegiſti, & hoc ignoras? Aeſculapium enim ferunt (dixit ibidem Plato) Apollinis filium extitiſſe, atque Auro inductum, vt hominem pecunioſum cùm extrema ægritudine ad mortem ferente opprimeretur, curaret, unde, & fulmine percuſſum. A. oh, oh, id Tragicis, & Pindaro, non concedit Plato. inter duas igitur hiſtorias, lepidiſsimas tuas fictiones inſeruiſti? tu iocaris, & me non times? D. ita me Deus amet, vt ego valde doctrinam tuam demiror, ſed propterea iocor, vt animum à doctiſsimis inſtantijs non mediocriter exagitatum, reſuſcitem atque hilarem reddam. & ſcito Achryuaſme, quòd mihi non minus iſte iocus, quàm Eliſeo ſoni armonia profecit, quando quarto Regum tertio, dixit, nunc autē adducite mihi Pſal-*

*tem, cumq́ caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini. A. in rem itaque noſtram, ſermonem, ſi placet, conuertamus: dic mihi amabo, ſi Aurum ſecundum te, qualitatibus ſuis intrinſecis, atque ſpecifica eius forma, opem ferre non poteſt, quomodo Nicander, Dioſcorides, Aetius, & Paulus, aconiti veneno, aurato vino medentur? D. ſumma quidem admiratione afficior, quòd præſtantiſsimi ac doctiſsimi Viri, Vinum Aconiti exemplo extollere conantur, in quo Aurea ſanè facultas rationibus adductis nullatenus ineſt. ſcito igitur, quòd non Aurum Aconiti veneno, ſed vinum tantùm opitulatur. A. qua ratione? Aconitumne, frigidum eſſe venenum fortè arbitraris? D. cùm Aconitum Deleteria prorſus facultate præditum ſit, illam de eius temperamento certitudinem, ac ſi eſſet ſimplex medicamentum nobis amicum, haudquaquàm habemus. & ideo Plinius 29.lib.cap.4. Aconitum eſſe frigidum autumat, & Macro-*

*bius*

*bius in illam etiam opinionem ſeptimo Sáturnaliorum lib.cap.6.deuenit. Sed Dioſcorides, ſuam circa temperamentum detegere opinionem (vt videre potes) non audet; innuit tamen, eum eſſe calidum, quòd quidem veriſimile eſt, ſi cum dulcedine, adſtrictioneq́; guſtu etiam percipiatur amaritudo quædam, vt dixit. at Galenus quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus decimoquinto, necnon ſexto eiuſdem, capite de Aconito, eum eſſe ſcepticum declarat. A. ſi igitur Aconiti temperamentum frigidum eſſet, non vtiq́; Aurum, ſed Vinum medicari veneno, confiterer. nunc autem quia per te calidum celebratum, nonne Aurum venenatis hominibus opem fert? D. non Aurum Achryuaſme opitulatur, ſed vinum feruefactum, hoc autem Hyppocratis teſtimonio, atque Galeni dictum ſit, qui ſexto de morbis vulgaribus commentario ſexto, aph. quinto, feruefacto malefica aliquando curari venena arbitrantur; Verba enim*

*Hyppo-*

*Hyppocratis ſunt hæc, maleficorum, Lac, Allium, Vinum ferueſactum, Acetum, Sal, Galeni autem, exoriuntur enim dolores quidam maligni, à maleficis ſeu medicamentis, quæ deleteria vocant, ſeu Feris venenum ictu fundentibus, ſiue ſuccis aliquibus ex improbo victu, aut peſtilenti cœlo in corpore genitis. ad hos itaque, id genus remedia enumerata fuiſſe dicimus, Lac, Allium, Vinum ferueſactum, Acetum, Salem. Lac namq́; venenis eroſione interficientibus, aduerſatur, ſiquidem attemperatione opus eſt, Allium, vehementi frigiditate lædentibus, reſiſtit, Vinum, mediocriter frigidis. ſed cùm ipſi adiectum fuerit ferueſactum, intelligere poſſumus admodum calidum. poteſt etiam intelligi Vinum ita elixatum, vt Siræon quòd vocant, factum ſit. etenim hoc, corrodentes acrimonias temperat, Acetum verò, vt glutinoſos, quales fungorum eſu creantur, ſuccos diſſecet, vel etiam refrigerandi cauſa, ſicut aduerſus Tapſiam requiritur.*

*ritur. poſtremò Salem, vt totam maleſicorum humorum medicamentorumq́; ſubſtantiam, conſumere poſsit, hæc ille. qua de re, cùm habeat Aconitum facultatem putrefactiuam, & erodentem, non ſecus vinum feruefactum, quàm Siræon, putredinem abſterget, factumq́; vlcus exiccabit. Quod autem dictum à nobis Vinum, ab Auctoribus iſtis, non autem Aurifica vis, omnino requiratur; Dioſcoridem adeamus, qui ſexto libro ſimplicium ſeptimo, & à quo, Aetius, & Paulus, verba ſumpſerunt, dum multa contra Aconiti venenum deſcribit, item Vinum (dixit) in quo Aurum, Ferrũ, Argentumvè candens reſtinguatur, potum. ex quibus equidem uerbis, colligere poſſumus, quòd Aconito, non Aurum, ſed Vinum, vel Auro, vel Argento, vel etiam Ferro, feruefactum, medetur; hæc namq́; vt ſolida metalla, in ſe præ cæteris (differentia tamen ſecundum magis, & minus inter ea ſuppoſita) calidam ignis facultatem retinent, vn-*

*de*

*de vinum ferueſacere iuxta exigentiam queunt, & dubio procul, tribus etiam iſtis, cætera metalla poſſent annumerari, ſi perinde ac ipſa ſolida eſſent, ab illisq; vt ab ære, vel Cupro, venenoſa ſubſtantia haudquaquàm efflueret. A. ſed vt mihi dicas chariſſime Dynachryſe te deprecor, ſi vinum tantùm ferueſactum, vt dicis, non aurea, nec argentea, neque ferrea virtus, Aconiti venenum curat, cur abſque metallorum extinctione, vinum percoquere igni, ſimpliciter potius non tentamus? nonne hoc pacto, & admodum calidum, & efficacius ad propulſandum venenum, effici putas? D. non quidem, nam per ebullitionem ipſam præſertim diuturnam, aerea vini penetratiua ſubſtantia, facilè exoluitur, quinimò, & terreſtrem, frigidam, & inutilem, adipiſcitur facultatem, quod profectò per metallorum extinctionem fieri non contingit, utpotè per quam interna vini facultas, perbellè concitatur, vnde Natura ipſa ex veneni*

*violentia iam languida propè ſuccumbens, vinum ita mediocriter calidum epotum, abſque labore amplectitur, & maleficum Aconiti ſuccum, pauco negotio euincit, ac ſuperat. A. tàm ſtrenuè tuæ ſubueniſti ſententiæ, reſponſumq́; ad tacitas obiectiones ſoluendas, inſeruiſti, vt contrariam amplius opinionem tueri profectò nequeam. Sed num Aquas Aurificas ſpontè ſcaturientes, Vinum quo ignita Aurea Lamina ſit reſtincta, aliquatenus imitetur, adhuc ſcire affecto. D. cur hodie me ad credendum inducis o Achryuaſme, te memoriam penitus amiſiſſe? non ne vulgare Aurum qualitates ſuas potentiales rebus alijs impartire non poſſe, crebrò intellexiſti? A. immeritò Dynachryſe me frequenter obiurgas, non nè quàmplurimis locis, Aurificæ Aquæ è profundo Terræ ſcaturiunt? D. quòd in quibuſdam Balneis Aurum inſit, vulgari opinioni adſcribitur, quippè quædam aquæ reperiuntur, quæ quoniam inſigni aliqua*

*virtute prædita ſunt, à multis Aureæ nuncupantur, quales Viterbienſes illæ, della Grotta dictæ ſunt, quoniam ad omnes morbos vtiles perhibentur, quæ licet Aureum, ab imo Aluei referant colorem, aurificæ non ſunt, ſed ab Aere quem obtinent, & Sulphure, colorem illum adipiſcuntur. A. & quonam pacto hoc aſſerendum putas? non nè Fabarienſes Aquæ, Aurum recipiunt? D. ne tibi videar omnia tua ſtudio negare velle, in adducto exẽplo acquieſcere decreui, præſertim, quia Andreas Baccius grauiſſimus philoſophus atq; Medicus ſexto de Thermis libro capitulo nono, hanc opinionem refellere non videtur, has itaq; aquas Germani quidam Auctores, ita deſcribunt. Sunt iuxta Auriferum Rhenum, inter præruptos Montes, ſalutares quædam Aquæ calidæ, quæ duobus milliaribus germanicis, à Caria ciuitate loci ac Monaſterij Diui Benedicti de Fabaris cæperunt nomen, à conuallibus enim primò alta occurrit planicies, circumſita*

*vndiq;*

M. T. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

*vndiq́; collibus, vbi in ſeceſſu, via caua, & anguſta, qua vix radij ſolares pertingunt, deſcenditur, & ad quandam primò Aquæ ſcaturiginem venitur, Glacialem nomine, & ex inde ad calidas iſtas, quæ ſub cauitate Montis, Balnea faciunt, iam tercentis annis à venatoribus caſu quodam repertas, quare cùm eſſent olim hæc loca horrida, & deſerta, nec ſine periculo, & aſperis & diruptis ſaxis deſcendentibus, peruia, nunc diuerſoria habent aliqua non incommoda, ac ponte fulcris inter præcipitia collocato, tutò euntibus etiam equis, præbetur acceſſus. Cubant hic homines in abditis ſub antro alueis aquis temperatè calidis, puriſvè, quæ, vt Germani quidam atteſtantur, Auri, & Cupri, cum ſulphure naturam cōtinent, aſſeruntq́; fide digni harum ſcriptores, uix quemquam hinc abſque ſperato ſucceſſu diſceßiſſe. A. lacum aperuiſti, & effodiſti, in foueamq́; cecidiſti, quam feciſti, non ne vniuerſam opinionem tuam hoc vni-*

*co exemplo iam deſtruxiſti? D. labia noſtra nobiſcum ſunt. nequaquam ob id, me ſuccumbere exiſtimandum eſt. Scito igitur Achryuaſme, quòd iſtæ Aquæ, non vulgare Aurum, ſed ſuccum aureum a Natura nondum concretum, re vera obtinent, cuius planè merito, admirandas prorſus proprietates, quas dicunt, habent, ac proinde actu calidæ huiuſmodi aquæ ſcaturiunt, & minerali calore quo ſemper præditæ ſunt, eximiè elaborantur, nec Aurum denſatum, nec limus aliquis, ex his Aquis planè ſubſidet, at in propinquis Rheni Fluuij ripis vnde exiliunt, rutilas Auri ſcobes relinquunt, tùm quia Archæo terræ quo fouebantur, non amplius reſident, tùm etiam quia Aquarum Rheni frigiditate quibus admiſcentur, ſuccus ille admirabilis iam concreſcit. ſi autem pro vt Aurea Lamina ignita & vino reſtincta reſidet, vulgare Aurum perfectè denſatum in proprio Alueo reperiretur, cuius gratia Aquas Auream facultatem obtinere putares,*

*tares,*

*tares, ex hoc ſequeretur, quod ſimiliter flumina quæ cùm fruſta, tùm ſubſtantiam Auri multam habent arenoſam, medica facultate non ſecus ac Fabarienſes, itidem pollerent, & proinde Pactulus Lydiæ in Aſia Fluuius, qui & Chryſorrhoas idcircò dicitur, ex Tmolo Aurifero monte excurrens, & Meander, Tagus, Hebrus, Oxus, Tarus, Tanarus, Ticinus, Eridanusq́; multas ob contentum Aurum ſanarent ægritudines, quod quidem eſſe falſum, ipſemet non ignoras. A. rectè quidem hanc rem explanaſti, Auratumq́; (vt aſſerunt) per laminam extinctam vinum, Aurificas haudquaquàm imitari aquas, innuiſti, inſtantiamq́; contrariam, irritam feciſti, nunc autem vellem, antequam procedatur vlterius, vt mihi Archæi ſignificatum inſinuares. D. inter ſpagiricas dictiones id nomen reponitur, Archæus enim primus, ſecundũ Chimiæ profeſſores, vis eſt occultiſſima, res omnes producens, ex Iliaſte diuina virtute*

*nimi-*

*nimirum ſuffulta. eſt & Archæus, ſummus exaltatus & inuiſibilis ſpiritus, qui a corporibus ſeparatur. Item Archiatos, ſupremus Naturæ Medicus, qui rei cuique ſuum Archæum peculiarem, & membro cuilibet occultè per Arem diſtribuit. A. heu, nota mihi per ignota declaras? D. ſic etiam ipſorum Magiſtri, Doctoresq́ faciunt. A. ſed quidnam eſt Iliaſtes, quid etiam Ares? D. Iliaſter, aut Iliaſtes, vel Iliadum, eſt prima rerum omnium materia, conſtans ex ſulphure, Mercurio, & Sale, quadruplex nimirum, iuxta quatuor elementa. Item quatuor ſunt Iliaſtri hominum concernentes longæuam vitam; Iliaſter primus uel inſitus, terminus eſt vitæ, imò vita ipſa, uel vitæ Balſamus in homine; Iliaſter ſecundus, vel præparatus, eſt terminus Balſami, & vita quam habemus ex elementis, elementatisq́ rebus; Iliaſter tertius, eſt terminus Balſami præparatus, aut vita quam habemus ex quinta eſſentia; Iliaſter Magnus*

*quartus,*

*quartus, eſt mentis vel animi raptus, in ſuperiorem Mundum. ſummatim verò dicitur Iliaſter, occulta Naturæ virtus, ex qua res omnes habent incrementum, aluntur, multiplicantur, ac vegetantur; Ares autem, eſt Naturæ diſpenſator, in tribus primis principijs occultus, vnde ſingula conſtant, qui rebus omnibus, formam, ſpeciem, & ſubſtantiam cuique ſuam, peculiariter diſponit, vt propriam & non alienam induat naturam ſpecificam, quare, Iliaſtes, eſt generis generaliſsimi, ſubſtantia conſiſtens in prima rerum omnium vniuerſali materia, & hanc primus Naturæ diſpenſator Archæus, in tria genera primùm diſponit, videlicet in Sulphur, Mercurium, & Sal, indeq́; in proxima ſua genera res producit omnes. Sed Ares alter Naturæ diſpenſator tandem accedit, & ex generibus, formas, & ſpecies, in indiuidua producit.*

*A. a Spagirica diſciplina, ſum penitus alienus, idcirco te rogo, ne amplius mihi de*

ipſa.

*ipſa ſermonem facias. D. abſque huiuſmodi Arte, tuas rationes diluere nequeo, attamen, inſuetis in poſterum vocibus, tuo ſuaſu prorſus abſtinere decreui. A. hactenus Dynachryſe, ſtrenuè admodum militaſti, ſed in futurum, neſcio quonam pacto è manibus hoſtis euadere poßis. dic amabo, cur eſt quòd vulgare Aurum Argento viuo medetur, ſi per te, nec qualitatibus ſuis potentialibus, nec ſpecifica forma mediante, quicquam in nobis valeat operari? quò enim te conuertas, videre neſcio. D. paulò remißius ò Achryuaſme, non glorietur enim Accinctu, ſæquè vt diſcinctus. Quod vulgare Aurum Argenti viui noxam potione ſumptum, tollere poßit, Dioſcorides nempè quinto libro, cap. 70. aſſeuerat, dum ſcribit Auri limata ſcobs, ideſt ramentum quàm tenuißimum epotum, mirabili eſt auxilio, & hoc etiam apud nos veritatem habet, non quod mediante calore actuetur, aut quia nobiſcum, quidpiã ſua ſympathia exerceat,*

*ſed*

M. T. AKADÉMIA KÖNYVTÁRA

*ſed quia inter ſe Aurum & Hydrargyrum facilè inimicantur, nec per aſpectus rectitudinem ſpecifica Auri forma in deſtructionem Hyd a giri, nec per contactum mediatum, ſed per immediatum, & ſimplicem operatur, & hinc eſt, quod ſi aliquis poſt Argenti viui aſſumptionem, Aurum (vt Dioſcorides docet) aſſumat, veneficam Hydrargiri vim, è medio tollit, cùm per eundem ventriculum & inteſtina permeet, Hydrargirumq́; pertingat, quare contactu ſimplici, ſtatim ac raptim Argentũ viuum ab Auro ebibitur, & ſimul & ſemel, id Hydrargirum impatibilitatẽ conſequitur, dum cum ipſo Auro quodammodo vnitur, & (vt ita dicam) conſubſtantificatur. præterea caliditas craßarum Hydrargiri partium, ab actuali Auri frigiditate retunditur, eiuſdemq́; Auri actuali ſiccitate, eroſioni occurritur, ac demum ponderoſitate Auri, qua ponderoſitatem Hydrargiri excellit, id ſecum deorſum defert, & extra corpus emit-*

*tit. his enim vijs, reſiſtit Aurum, noxæ, quæ ab ipſo Hydrargiro corpori infertur. namq́; craſſarum partium poteſtate calida, qua ventrem exulcerat, & exurit, corpus lædit, cùm præ grauitate ſui, in ipſum diſtribui nequeat, vt Galenus apertè ait quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 19. ad quem ſenſum etiam declaranda eſſe Dioſcoridis verba exiſtimo, dum ait, potum, vim pernicialem habet, ſuo enim pondere, interna exeſt. Colligamus igitur, Aurum à veneni anguſtia patientem vindicare, non per ſe, ſed ex accidenti, non enim ob corporis noſtri calorem, ſed per ſimplicem Auri contactum, intentum aſſequimur, nec minus in lapidea ſtatua quàm in homine viuente, anthipathiam illam experiremur. A. præter expectationem, hunc ſcopulum euitaſti. D. & hæc, pro quæſiti tui ſolutione ſufficiant, cum ipſa Auri & Argenti viui diſcordia nobis ſuppoſita, famoſiſſima ſit. multi enim ipſam experti*

*ſunt,*

*ſunt, nõnulli etiam doctrina id aſſequuntur, & Hieronymus Fracaſtorius multi nominis philoſophus, hanc Argenti viui & Auri anthipathiam libro ſuo de ſympathia anthypathiaq́ʒ rerum adnotauit. A. adhuc uerò his non obſtantibus, quidam mihi ſcrupulus obuiam it. nam ſi Aurum ob caloris noſtri actuationem haudquaquàm (vt es arbitratus) Hydrargirum abſorbet, cur eſt, quòd Dioſcorides in tenuiſsimum pollinem Aurũ redegit? non ne eodem pacto Argento viuo integrum mederetur? nonne Aurum ob id in tenuiſsimas ſcobes redactum iri proponit, quia minima Auri portio citius a calore alteratur? D. quòd etiam Auri minima pars, eandem ſemper nobiſcum indomitatem poſsideat, iam antea tibi fuit oſtenſum, verum in minutiſsimas partes Aurum redactum Dioſcorides probat, vt qualibet eius minima pars, minimam Argenti portionem vndiq́ʒ amplectatur, & vt etiam vbiq́ʒ locorum, ſua actuali ſiccitate opitulari poſ-*

*ſit, eroſioni, quæ ab ipſo Hydrargiro illata fuerit. A. ſed quomodo te a Galeni verbis primo de ſermone decimo ſexto tueri poteris? D. quænam ſunt illa? A. Validas nempè facultates (inquit) ſibi ſimili qualitate uniuerſum corpus afficere, qua ratione minima particula deleteriorum, vniuerſum corpus temporis momento immutat, ſibiq; ſimili affectione alterat, ac eorum curatio, per alexipharmaca eodem modo contraria lethalibus alteratione totum corpus immutat, non ſanè quòd eorum ſubſtantia per vniuerſum corpus adeo velociter penetret (tam paucus enim ſuccus, tam breui tempore corporis molem replere, minime poteſt) ſed qualitatis diffuſione, qualis & extra nos a Solis fulgore in ambientem Aerem, atque etiam in nobis, tùm à corde in arterias, tum à cerebro in neruos, fieri conſpicitur. D. non intelligo quorſum tendat hæc tua inſtantia. A. quomodo nõ intelligis? non ne igitur Aurum cum totius ſubſtantiæ proprietate (quemadmodum*

*modum & deleteria, & alexipharmaca) natum ſit agere, ad eundem modum corpus noſtrum immutare, & ſimili ſibi qualitate afficere, quo illa faciunt, non quòd ab eius ſubſtantia aliquid decidat, ſed ad eum ſanè modum quo Magnes dicitur Ferrum trahere, qualitatis ſcilicet ſolius diffuſione, ſpiritaliq́ue actione a calore excitata? D. non ne me dixiſſe memoria recolis, quòd primi ordinis facultates à ſpecifica forma prodeuntes, materiæ ſuæ elaborationem in toto vel parte requirunt? non ne & valentia pharmaca pro ipſarum qualitatum diffuſione, ſubſtantiæ alteratione opus habent? non ne medicamenta huiuſmodi ad hoc vt ſuas in nobis operationes exerceant manducari debent? cur Galenum mutilatum in mediũ adducis? cur verba illa (qua ratione etiam minima particula humoris lethalium venenorum quæ δηλητήρια appellant, vbi in animalis corpus ingreſſa fuerit) prorſus omiſiſti? num ſententiam hanc conſultò, aſtuq́ue præteriſti?*

*teriſti? an fortè corruptum, mancumq́; Galeni textum offendiſſe dices? cur ſpecificæ formæ ſecundi modi proprietatem, Herculei lapidis exemplo, primo modo adaptas? ſcito Achryuaſme, Galenum inibi de medicamẽtorum proprietate per primum ſpecificæ formæ modum, non autem de virtute qua per ſecundum modum mixta potiuntur, intellexiſſe. procura igitur, vt vulgare Aurum ingeſtum a calore noſtro perinde ac Spagiricum facit, alteretur, & Medico ſucco ſeu Cyrenaico, Rutæ, & Allio, quæ ſubſtantiæ aliqualem alterationem admittunt, ſimile efficiatur, tunc enim valentes eius facultates (ſi quæ ſint) per primum ſpecificæ formæ modum immutare noſtrum poſſe corpus, tibi facilè concedam, ſecus autem tua te intentio fruſtrata fuerit, nam ſi auri ſpagirici tantum, poculo quidem infunderes, quantum curru vehitur maximo, & ipſum dares Pigmæo defuncto, nec non etiam vulgaris auri dracmam, tantæ magnitudinis Giganti*

*ganti viuo, quantæ fuit olim Delphica ſtatua, exhiberes, neuter horum (vt reor) a valenti eorundem facultate, afficietur. A. adhuc in peruicacia tua perſiſtens, Auri ſubſtantiam à calore noſtro nullatenus alterari, contendis? D. quidni? Vis forſan quòd calor innatus id domet, quòd a ſummo ignis feruore, domari nequit? A. ſi verò coactus fueris confiteri, quòd minor calor id faciat quod maiori denegatur, quodq́ naturalis calor, Auri ſubſtantiam immutet, quid tunc erit dicendum? D. te virtute præclariorem quàm Aurum, confitebor. A. ad rem igitur accedamus, & primò, num Struthiocamelus animal ſit, à te Dynachryſe ſciſcitor. D. cum ſophiſticam artem profiteare, num Auis ſit, vel non Auis, potius a me exquirere debebas, ſic & Sophiſta quidam, ex eorum numero qui de huiuſmodi problematibus diſſerunt, in vtramq́ partem differebat, ac huiuſmodi animalia, nunc Aues eſſe, nunc verò non eſſe probabat; ſed*

*ſed quis noſtrum animal eſſe veretur aßerere? Struthio enim Ariſtotele referente quarto de partibus animalium decimo quarto partim Auem, partim quadrupedem, refert. nam vt quadrupes, pennas non habet, vt non Auis, ſublimis non volat, nec pennas ad volandum commodas gerit, ſed pilis ſimiles. Item vt Quadrupes, pilos habet palpebræ ſuperioris, & glaber capite, & parte colli ſuperiore, exiſtit, ciliaq́ habet piloſiora, ſed ut Auis infra pennis integitur, bipes autem tanquàm Auis, biſulcus tamquàm Quadrupes, non enim digitos habet, ſed vngulam bipartitam, horum cauſa videtur, quòd magnitudine non Auis, ſed Quadrupedis eſt, magnitudinem enim Auium, minimam eſſe propè dixerim, neceſſe eſt, corporis enim molem in ſublime moueri, haud facilè eſt. A. monſtruoſam eius figuram enarraſti, & ego mirificam eius poteſtatem in Auro ingeſto immutando, ex Auerroe quinto colligit cap. 24. tibi aperiam, ſic enim*

*ibidem*

*ibidem ſcriptum reliquit, ſicut dicitur, quòd cùm Struthionibus datur ad comedendum Aurum, & incontinenti extrahatur à ſtomaco, inuenitur multùm diminutum, & hoc eſt veritas, quamuis Aurum durè patiatur ab igne, nec poteſt dici, quòd calor Struthionis, ſit fortior igne, nam verbum eſſet vanum. ecce quòd vnico exemplo omne quod mihi propoſueram, ad vnguem probaui, nempè quòd minor calor, quòd maior nequit, efficere poteſt, & quòd Animalium calor, Auri ſubſtantiam domare valet. non nè confuſum eſſe te, iam fateberis? D. nondum quòd cupis adeptus es, ex tot enim, tantiſq́ auctoribus quos perlegi, nullus de huiuſmodi Auerrois commento mentionem fecit, nam Ariſtoteles præter allegatum locum, cùm quarto de partibus animalium decimoſecundo, tùm nono de hiſtoria animalum decimoquinto, de Struthiocamelo verba fecit, et talem prorſus proprietatem præteriјt, Plinius curioſus vtiq́ ſcriptor, nullibi hoc ſcri-*

*ptum reliquit, & tamen Struthium pluribus in locis, vt decimo naturalis hiſtoriæ, capitibus primo, 22. & 52. nec non etiam vndecimo libro, cap. 37. meminit, præterea Galenus tum tertio de alimentorum facultatibus capitibus 20. 21. & 22. ac libro de ſuccorum bonitate, & vitio, capitulo ſexto, de Struthiocamelo multa dicit, & Auerrois figmentum omittit. ac tandem Albertus cognomento Magnus, dum naturam eius 23. lib. de animalibus perquirit, haudquaquàm talem in ipſo eſſe facultatem arbitratur, ſed vice verſa vulgi opinionem de Ferro, his uerbis deſtruit, nempè, De hac Aue dicitur, quòd Ferrum comedat, & digerat, ſed ego non ſum hoc expertus, quia Ferrum à me pluribus Struthionibus obiectum, comedere noluerunt, ita vt etiam Auerroem falſa ſentire, ſuſpicandum eſſet. A. heu, quid ais? falſa credere? ſummum philoſophum, demonſtrationibusq́ aſſuetum, talia ſcribere ſibi inexperta proponis? D. & quidni?*

*ſi iſtis*

*ſi iſtis præſertim (vt aiunt) ſubligacula cadunt? nonne fœminuncularum nugis, aliquando ſuccumbit? lege ipſum ſecundo colliget decimo, & contine riſum, ſi potes. A. & quidnam dixit? D. inſulſißimam quidem, & mihi parcat, rem, audi, & vicina (inquit) quædam mea, de cuius ſacramento confidere multùm benè poteramus, iurauit in anima ſua, quòd impregnata fuerat ſubito, in Balneo Lauelli aquæ calidæ, in quo ſpermatizauerunt mali homines, cùm eſſent balneati in illo balneo, & ego perſcrutatus fui vnum librũ quem fecit Auemcladis, de Spermate, & inueni eum, qui dicit, quòd hoc poßibile eſt eſſe, & reddit de hoc rationem plurimùm mihi placentem, quia vulua trahit ſperma, propter vnã propriam virtutem quam habet cum eo a tota ſpecie, & ad hoc, non eſt neceſſaria delectatio. ò quàm benè placet mihi (dixit ille.) A. oh, oh, iurauit mulier, oh, oh, oh, oh, quàm benè placuit audiuiſſe hiſtoriam, ſed inſtan-*

*tiam forſan ſcurrilitatibus his tuis, prœteri-re credis? D. non quidem, ſed ſi hoc autumas, quòd calor ipſe quatenus calor & ab omni ſpecificæ formæ qualitate denudatus, Aurum immutet, longè à veritate aberras, quippè, Struthiocamelus ipſe (ſi diſſoluere Aurum eſt aptus) haudquaquàm ſimplicis caloris ratione, ſed ſpecificæ formæ occaſione, quæ multo magis in Aurum, quàm elementaris ignis profectò valet; ipſum vulgare conficit Aurum, ac proinde Auerroes rectè ſubiunxit, ergo hæc res, non eſt niſi illud quod ſequitur à tota ſubſtantia in calore Struthionis, & non propter fortitudinem qualitatis caloris. vbi clarè oſtendit, quòd virtus inſequens totam caloris ſubſtantiam in Struthiocamelo, eſt illa quæ ipſi calori uim impartit, vt faciat id; quod ſuaptè natura ſibi denegatur. verum proprietatem iſtam quam in Struthione Auerroes adinuenit experientia, haudquaquàm in homine circa quem vertitur ſermo, reperitur, quamobrẽ*

*vt*

*vt vulgare Aurum in vſum medicum ueni-re poßit, vel in Struthiones conuerti homi-nes antea debent, vel Struthionibus tantùm medicos aurificas adhibere medelas, neceſ-ſum eſſet. A. & cur ipſorum carne Auri vicißitudine quòd ipſi digerunt curari non poſſumus? non nè Auri dotes, eas obtinere carnes, conſonum eſt? D. pro vt Gallinæ faciunt? A. ad vnguem, quippè Doctißi-mus quidam Medicus nuperrimè conſuluit, vt Gallinis veſceremur, quibus cibo datum ſit Aurum. D. vereor Achyuaſme, ne fe-rina inſania, his inſulſißimis tuis, afficiar nugis. nonne Galenus excrementoſum, con-coctu difficile, & vitioſi ſucci id animal eſ-ſe, adductis locis aſſeuerat? nonne Medicos illos increpat, qui falsò Struthiocameli ven-triculum extollunt, ceu medicamentũ quod-dam quod coctionem iuuat? Gallinas fortè autumas, Auro nutriri? ignoras Plinij di-ctum decimonono libro, naturalis hiſtoriæ quarto, cum ait, ſi Auro liqueſcenti Galli-*

*narum*

*narum membra miſceantur, conſumunt id in ſe, ita hoc venenum Auri eſt? quomodo igitur anthipathiam in ſimpathiam deducis? A. fateor Dynachryſe, quòd præter expectationem doctiſsimè ad inſtantiam reſponſum attuliſti, etſi te non pigeret, ſententiam tuam etiam de Ferro a Struthione ingeſto, intelligere affectarem. D. dudum tibi dixi, quòd vulgi deliramenta Albertus negat. A. ſed ego in tali negatione non acquieſco, nam ferè omnes aſſentiunt, quòd Struthiones comedant Ferrum, & famoſa apud omnes, ex Auerroe libro de ſomno, & vigilia, aut ſunt neceſſaria ſecundum totum, aut ſecundum partem, impoſsibile enim eſt, vt ſecundum totum falſa ſint. D. vt igitur tibi gratificer, dico, quòd Struthius, & ſi Ferrum inglutiat, ipſum tamen haudquaquàm digerit, nam & aliàs Caſtilionenſem quendam hominem me cognouiſſe recolo, qui mercede ductus, multa ſaxa deuorabat, quibus tamen nutriri procul dubio non poterat, ſed*

*paulò*

*paulò poſt, cum alui excrementis, ſilices duros ingeſtos egerebat. quid igitur obſtat, quin aſſeramus, animalis inſaniam eò ipſum perducere, vt abſque delectu Ferrum manducet, quamuis in vſum id ſibi vel cibi, vel medicamenti nequaquàm deueniri cognoſcat? porrò Albertus, Struthium eſſe uecordiſſimum animal, apertè ſcripſit, & Plinius etiam inſaniam eius irridens, ſed non minus (inquit) ſtoliditas in tanta reliqui corporis altitudine, cùm colla frutice occultauerint, latere ſeſe exiſtimantium. quòd ſi hæc fortè probare nolles, tunc dicerem, Struthiocamelum ferrum comedere, atque eo nutriri, non ex parte Ferri perfectè concreta, ſed à metallico ſucco nondum denſato, qui adhuc in ipſo Ferro ob ſuam imperfectionem ineſſe cenſetur, alimentum deſumit, quòd quidem a depuratiſſimo Calybe non ſequeretur. A. quantum ad Struthium pertinet, nihil amplius habeo quod tibi repugnet, ſed circa principalem inſtantiam, vel tu*

*mutare*

*mutare placitum cogeris, uel ego opinioni tuæ coactus adhæreſcam. adeſdum paucis enim te ſuperare volo. D. ex tuis planè verbis, te hanc litem amiſſurum, facilè cognoſco. A. dic mihi amabo, qua ratione abſolutè dicere audes, minorē calorem qualis eſt naturalis hominis calor, non poſſe facere ea, quæ intenſo igni denegantur, ſi ex Plinio 33. lib. cap. 3. diſcitur, quòd a minori calore, citius quàm a maiori vulgare patitur Aurum, dum ait, præterea mirum, Prunæ violentiſsimæ igni indomitum, Paleæ citiſsimè ardeſcere? nonne calorem Paleæ, calori Prunæ mitior eſſe credis? ſi igitur is calor, nempè mitiſsimus, domare Aurum vtiq; valet, cur & calor noſter idem facere Dynachriſe non poterit? D. Plinius forſan ſolus, Aurum Paleis liqueſcere dixit? nonne & Macrobius ſeptimo Saturnaliorū decimoſexto, & Galenus in libro aduerſus Lycum capitulo quinto, idem conſcribunt? A. tanto igitur magis, id quod aſſeris, falſum*

*ſum ſapit. D. verùm Achryuaſme, ſi paleam Plinius admiratur, ego etiam valdè ſtupeo, quonam pacto quocumq; medio, ſolertiſsimus vir meam deſtruere opinionem nitatur. A. cur admiraris? nonne Plinij dictum, Galeni, & Macrobij, contra te facit? D. non quidem. A. hui, qua ratione inficiari hoc audes? nonne annuentibus omnibus, prunæ ignis, quàm paleæ, cenſeri debet intenſior? D. iam iam reſponſum habebis; dic igitur mihi ſi placet, qualenam mixtum maiorem obtinet per te calorem, num quod in ſe ignis tantùm qualitates habet, an quòd præter id, aliud quidpiam poſſidet, quod ipſum calorem ſuſcitet? A. id dubio procul quòd ſimul, & ſemel duobus his præditum exiſtit. ſed quid amabo præter ignem illud eſt, quod inducere calorem poſſit? D. motus nimirum. A. veritatem profectò aſſeris. D. rurſus velim à te ſcire, qualem motum ad maiorem caloris productionem aptiorem autumas, ſimplicem ne,*

T *compo-*

*compoſitum ve? A. certè compoſitum; ſimplex etenim motus, vnum coloris gradum, verbi cauſa, producit, compoſitus planè, vel duos, vel vnicum illum caloris gradũ, ſaltem intenſiorẽ efficiet. D. ſi igitur ignis paleæ, quatenus ignis eſt, calorem habet, quatenus duobus etiam contrarijs motibus ſummè calfacit, cur nõ intenſius prunis exurere poteſt? quandoquidem reſpectu paleæ, prunæ ignis quaſi emortuus, immobilisq́; exiſtit. A. & quomodo duos obtinet motus? non intelligo, apertius loquere. D. dic mihi Achryuaſme, nonne ignis Paleæ flammã parit? A. quis ignorat? D. ergo, & duobus contrarijs vtitur motibus, vno aſcendendo, altero verò deſcendendo. A. & ignis deſcendit? D. maximè, ſi placet, lege Galenum libro de utilitate reſpirationis capitulo tertio, & videbis ſi flamma deſcendit. A. recita quæſo uerba eius. D. præter hæc verò, etiam illud inſuper addatur (inquit) quòd omnes flammæ, duplici motu moueri*

*viden-*

*videntur, altero à materia, ex qua accenduntur; per quem maximè ſurſum feruntur, & vndiquaq; diſperguntur: altero verò huic contrario, ad ſui ipſarum principium, ac velut radices vergente, per quem conſidunt, & contrahuntur. etenim, ſi facis quam maximè ſupernam extremitatem accenderis, confeſtim ad infernam perueniet ignis, & ſi poſtquam Lucernæ flammam extinxeris, ad extremum fuliginoſæ fauillæ ſurſum vergentis, alium ignem admoueris, iam rurſus ardentem Lucernæ funiculum, videbis, cùm nihil tale fieri poſsit, ſi ignis motum ſurſum tantùm haberet, & quæ ſequuntur. A. quod ignorantia, vt dicitur, admirationem pariat, rationabiliter dictum fuiſſe comperio, hinc enim Plinius admirabatur, quia cauſam à te dictam vtiq; ignorabat. ſed Aurifices noſtri, dictis ne fortaſſe auctoribus, aſſentiuntur? cùm enim proprij ſint profeſſores, illis credere conſentaneum eſt, affirmant ne ignem paleæ facere ea quæ Plinius,*

*Macrobius, Galenusq; aſſeuerant? D. ignem paleæ nequaquàm experti ſunt, ſed quod igne notabili conſequi non potuerunt, vt ſcilicet Aurum in ipſo per longum temporis ſpacium funderetur, id (vt ipſi aſſerunt) ignis quantitate minori, flammam præſertim folle agitatam, habente, citiſſime obtinuerunt. A. curioſiſſimus utique in aſſequenda veritate fuiſti, quapropter cum triuicum experimentum rationi ſubſcribat, contradicere tibi nullo modo permittitur. D. veritatis amor occaſio fuit, vt hanc ab ipſis rem, indagarem, ab omnibus enim doceri (quamuis Mechanici ſint, haud erubeſco. A. prudenter quidem facis, ſed ad auctoritates illas Galeni, tum ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus capitulo de Peonia, tum nono, eorundem ſimplicium, capitulo de lapidibus, quid poteris reſpondere, cum dixit, quòd plura medicamenta ſunt, quæ corpus noſtrum immutant, cùm nihil ab eo patiantur, ut verbi cauſa*

*Peoniæ radix eſt ex collo ſuſpenſa, quæ comitialem morbum ſanat, quin etiam ſi compluribus linis, & maximè marinæ purpuræ collo Viperæ iniectis, illis Viperam præfoces, eaq́ postea cuiuſpiam collo obuincias, mirifice profuerit, tùm pariſthmijs, tùm omnibus ijs quæ ex collo expullulant? D. non ne ſententia mea dum de ſpecificæ formæ ſecundo modo tractabam, externa die tibi fuit oſtenſa? non ne audiſti, quòd multa facere per ſecundum modum ſpecifica rerum forma apta ſit nata? oſtende igitur mihi quod vulgare Aurum nobiſcum per ſpecificam formam ſecundi ordinis quidpiam polleat, facultatesq́ eius explica, me enim veritati obſiſtere nunquam inuenies, etſi quandoque Plinium in medium proferre ſtudebis, memento prius, ea quæ contra ipſum fuerunt inuecta. A. verum ad id Galeni tertio de temperamentis quarto, quid reſpondebis? nonne prorſus ſententiæ tuæ contrariatur, quæ vel ſubſtantiæ, vel qualitatis alteratio-*

nem,

*nem, ad explicandas ingeſtorum poteſtates, ſupponit? nonne reperiuntur medicamenta nonnulla, quæ cuiuſmodi ſunt aſſumpta, eiuſmodi etiam permanent, vincunt, & corpus ad eum modum quo id cibos, mutant? D. ſi cibaria ingeſta non niſi pati arbitrareris, à recta veritatis via Achryuaſme declinares, ipſa enim quoque, in corpore hominis, aliquid faciunt, & ſi deleteria frigida corpus afficere noſtrum abſque vlla alteratione aſſereres, aberrares, haud enim ſunt penitus alterationis expertia, quippe calore noſtro mediante, aliquid patiuntur, donec inſitæ facultates, de potentia ad actum reducantur, ſed cum longè magis agere in corpus noſtrum, quàm pati ab eo valeant; inde eſt, quòd abſque alteratione vlla ea prorſus nos afficere, quandoque aſſerimus. omnino enim (ex eodem Galeno præcitato loco) vbi duo corpora inter ſe commiſſa, aliqua multo tempore pugnant, certantq́; de alternando, vtrunque eorum tùm agere, tùm pati eſt neceſſe,*

*neceſſe, fortaſſe autem, & ſi non multo tempore id fiat, attamen agit etiam id quod vincitur, in id quod vincit. verum ita exiguum vt eſt ſenſum effugiat, neque enim ſi acutiſsimo Ferro, molliſsimam ceram tota die ac nocte incidas, fieri poteſt, vt non fiat manifeſtè obtuſius, ita nimirum commodè dici videtur, aſsiduo illiſu, durum cauat undula ſaxum, quippè ita quoque fieri cernitur, cæterum vno, aut altero ictu, nihil adhuc euidens videre in talibus licet, ex quo factum arbitror, vt quædam ab admotis ſibi, nihil prorſus pati opinati nonnulli ſint, & cedendum quidem eſt ita loquentibus, ſæpè vero nobis quoque, ipſis ita plerunq; loquendum eſt, niſi ſicubi ad vltimum examen diſputationem perducimus, hæc ille. quodcumque igitur corpus noſtrum immutare valens, ab ipſo prius alterari (ſecundo ordine ſpecificæ formæ tamen excepto) neceſſum eſſe; rectè quidem à nobis iam fuit pronunciatum. nec obſtant Galeni verba obiecta,*

*quæ*

*quæ quidem largo modo vt ſupra, locutus eſt, quinimo etiamſi ſubſtantiæ ſuæ aliqualem paßionem deleteria frigida experiri aſſererem, haudquaquàm ob id in diſcrimen vocari deberem, cùm a calore noſtro, deleteria frigida intro aſſumpta, Galeni teſtimonio tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus capitulo decimonono, neceſſariò comminuantur, & minutim incidantur. Etenim (inquit) cùm ſit impoßibile, ut talia interficiant, niſi prius cor refrigerent, ſanè intro comminuta, extenuataq́; ingrediantur, neceſſe eſt, id quod ex ſua natura præſtare nequeunt, quippè quæ craſſarum ſunt partium, nec facilè moueri poſſunt, nec vt minutim concidantur, prorſumq́; ferantur, ex ſua natura obtinent, verum adſcititiam caliditatem requirunt, quæ in minuta ſecet, extenuet, atque comminuat, quæq́; velut manu ducat, atque in ſubtiles partium omnium meatus, deducat. & capitulo vigeſimo, eiuſdem libri, dixit, quamobrem,*

*quamobrem, eius quoque nunc protinus meminiſſe oportet, Veteres, Medicamenta natura frigida, poteſtate dixiſſe frigida, nam ea quoque quadantenus refrigerandi potentiam a nobis accipiunt, ſicut excalfaciendi calida, quodſi alio modo illa, alio verò iſta, nihil vtiq; refert, generale enim idem communeq; vtriſq; eſt, nempè alterationis principium ex paſſuro corpore, & in acturum Medicamentum procedens; nam quæ poteſtate quidem ſunt calida, alterãtur eo dumtaxat quòd incaleſcant a nobis, at quæ natura frigida, tùm quòd comminuantur, tùm quòd adſcititium accipiãt motum. cum itaque ipſis tamquàm frigidis, agere abſque corporis patientis auxilio non liceat; iure poteſtate frigida dicuntur; nam ut actu nos refrigerent, non prorſum ex ſe obtinent, uerùm à nobis prius perpetiantur vt refrigerent oportet, etenim in minuta conteri, & aduentitium motum accipere, affectus ſunt medicaminum, hactenus Galenus. Sed ma-*

*xima admiratione afficior, quòd his Galeni auctoritatibus, primo ſcilicet de ſemine, decimoſexto, & tertio de temperamentis, quarto vtaris, cum eodem telo, quo me ferire contendis, te prorſus occidas. D. contra me huiuſmodi auctoritates faciunt? D. quàm maximè, nam Vulgare Aurum in vſum medicum venire pro viribus contendis, facultatesq́; valentes ipſum habere omnino autumas, & abſque ſubſtantiæ alteratione, noſtrum immutare corpus obfirmas; his igitur medijs, te Aurum damnare non proſpicis? A. quonam pacto? D. quia ſi opus ſuum (vt tenes) in nos explicaret, Aurum eſſe lethale venenum (quod quidem dicere vereris) incautè aſſeuerares. audi Galeni verba prout iacent, ſi hanc veritatem compræhendere cupis, Oleum namque (ait) calidum poteſtate eſt, nimirum quòd flamma facilè fiat, eodem modo Reſina, Bitumen, & Pix. Vinum autem quòd facilè fiat ſanguis, pari modo, Mel, & Caro,*

*& Lac,*

*& Lac, atque hæc quidem totis ipſorum alteratis ſubſtantijs, nutrimenta ſe alterantium ſunt, quæ verò vna qualibet qualitate alterantur, ac mutuantur, ea medicamenta tantùm ſunt. medicamenta itidem ſunt, & quæ nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte, ſed tota ſeruata integra, corpus ipſum afficiunt, cæterum grauia, & naturæ animalis corrumpentia, vnde & totum eorum genus, deleterion & peſtilens dici reor. hactenus Galenus. A. approbo dictum, ſed ſi hoc medio intentum obtinere me non contigerit, ſpem ſuperandi omnino amiſiſſe fateor. dic mihi quæſo, nonne Vulgare Aurum, eodem modo quo Hyacinthus gemma nata eſt, ſuas in nos facultates demandare poteſt? ſi igitur Aurum imitari Hyacinthum non denegaueris, nonne omnia quæ dixiſti hodie, heri, ac nudius tertius, ſimul corruunt? D. non me præterit Achryuaſme, adeo multos in Vulgari Auro eſſe obcæcatos, vt mentis oculis rationes perſpicere quibus nul-*

*lam ex Auro conſequi poſsimus vtilitatem dum intro aſſumitur, niſi ex accidenti ob aſſumptionem Hydrargiri, vt diximus, profectò nequeant. nec etiam ignoro, quòd iſti viri, poſt cauſæ amiſsionem, tractatu de viribus cordis, tecum conſulunt Auicennam, non animaduertentes, quòd nihil inde poſſunt adiuuari. A. tractatum equidem de viribus cordis, non ſatis perlegi, te igitur, ſi non tædet, vt verba eius explices, te obſecro vehementer. D. de his autem (inquit) quæ in conſideratione Hyacinthi perſuadere oportet, eſt, vt inconueniens eſſe dicatur, calorem naturalem agere in Hyacintho cum ſumitur intra corpus, tranſmutationem, & diſſolutionem, atque commiſtionem eius ſubſtantiæ, cum euaporabili ſubſtantia ſpirituali, quemadmodum agit in Croco, & ſimilibus, & in ſumma incõgruum quidem eſt, quòd dicatur, quòd Hyacinthus in forma ſua ſubſtantiali, patiatur à calore naturali, & exinde poſtmodum eius opus manifeſtari,*

*feſtari, etenim eius ſubſtantia, quemadmodum patet ſenſui, valdè eſt ab huius paßione remota. videtur ergo, quòd calor naturalis, nec imprimat in ſubſtantia, nec in accidentibus formæ ſuæ inſeparabilibus, ſed ſolum in vbi eius, & loco, & qualitatibus eius accidentibus. in vbi quidem, & loco, quoniam facit ipſum cum ſanguine penetrare vſque ad partes cordis, quapropter cum efficiatur propinquius paſſo, fortius imprimit ſuum effectum, in qualitatibus quidem, quoniam calefacit ipſum Hyacinthum, de natura uerò calefactionis, eſt, vt manifeſtet proprietatem, & excitet virtutem, ſicut apparet in Carabe, ipſum enim quando debiliter paleam trahere videtur, fricatur quidem donec caleſcat, poſt hoc apponitur ei palea, & attrahit ipſam velociter, & videtur ergo, quod vltima impreſſio naturæ noſtræ, vel caloris naturalis noſtri in Hyacintho, ſit iſta, & quòd actio, ſit additio manationis ex eo ad illud, ad quod ſit manatio naturaliter,*

*liter, & additio appropinquationis. hæc ille. A. hui, quã iſta verba confuſione obducta ſunt. vt igitur ea mihi dilucides, vehementer affecto. D. dicit, quòd quamuis Hyacinthus ſecundum ſubſtantiam inalterabilis ſit, à noſtro tamen calore calefacta gemma perinde ac in ſuccino confricato euenit, eius excitantur vires, ac intenduntur, & miſſa cum ſanguine cordi propius, in ipſum vehementius operationes exercet; quamobrem duæ ſunt apud Auicennam conditiones, quæ Hyacinthi facultates internas detegere, & vigorare poſſunt, altera quidem propinquitas, altera verò ſubſtantiæ calefactio, qua ſpecificæ formæ virtutes intenſiores efficiuntur, quamuis Hyacinthus ſuaptè natura immutabilis ſit. A. nunc Auicennæ animam probè teneo. D. huiuſmodi igitur conditiones (Excellentiſſimis viris ita aſſeuerantibus) potiſſimè cauſa ſunt, quòd aut ſcobis, aut bracteis ingeſtum Aurum, Hyacinthi inſtar facultates imprimat. nam quamuis indomitate*

*domitate*

*domitate ſubſtantiæ, haud queat immutari, ab operatione nihiloſecius virtuoſa, numquã deſiſtit. ſat enim eſt, quod a calore noſtro interno, ſimplicem dumtaxat calfactionem pro exercenda facultate adipiſcatur. A. ab hac inſtantia vix Galenus ipſe (ſi viueret) te vindicare poſſet. D. ſi alius minoris grauitatis auctor, hoc dixiſſet, inter fatuas res prædictam opinionem reponendam eſſe planè aſſererem, & meritò quidem huiuſmodi chimeris reſponſum penitus denegarem. ſed quia tractatus ille ſub nomine Auicennæ circumfertur, & Deus nouit, an vnquam Auicennas abſurda talia exarauerit, nam in hebræo codice libellum de uiribus cordis, haud eſſe receptum pro comperto habeo, fieri non poſſe, quin tuus Auicennas, ſalua tamen ſemper ſua pace manente, tripliciter non errauerit, mox oſtendam. A. caue ne verſa vice res tibi ſuccedat, tripliciter Auicennam erraſſe? hui, quid audes? D. cum attentione igitur animaduerte, quod primi*

*erroris*

*erroris occaſio ab hoc deſumitur, quia ex una proprietate quam habet unicum mixtum, regula generalis formatur pro omnibus mixtis, quæ per eundem ſpecificæ formæ modum debent operari. Secundo, quia abſq; neceſſitate multiplicat vſus. Tertio deniq; falſum ſupponit. A. ſi hæc omnia oſtendere vales, Auctorem iſtum non Auicennam dicam, ſed potius Arnaldum traductorem, qui vt ſuum placitum tanti viri auctoritate fulciret, arabicam phraſim callidè eſt imitatus. D. ſi igitur hoc quod dicit veritatem ſaperet, quòd ſcilicet elementatarum rerum calfactione, ſpecificæ formæ operationes roboris tantum acquirerent, ſequeretur profectò, quòd Herculeus lapis calfactus, Ferrum, & Chalyben vehementius attraheret, quodq; Allium excoctum, & Adamas ignitus, Magnetis vim reſtringere fortius valerent; verùm an hoc veritatis imaginem præſeferat, necne, te iudicem in hoc conſtituo. A. non ſolum intenſius haud-*

quaquàm

*quaquàm ( vt arbitror ) operarentur, ſed potius a facultate propria ociarentur. D. vnde ſi Electri calfactio occaſio exiſtit, qua vehementius Paleæ, Feſtucæq; attrahantur; ex hoc non ſequitur, quòd alijs mixtis huiuſmodi conditio neceſſariò inſit; nam ſi a Succino ipſo, vtpotè a bituminoſo mixto, ut Georgius Agricolas tenet, vel a reſinoſa lachryma, ut Plinius multiq; Auctores aſſeuerant, vapores per calefactionem eleuantur, quibus eiuſdem attractio dubio procul intenditur, ab Adamante ſanè ignito, ſiue Indicus, ſiue Arabicus, vel Macedonicus, vel Cyprius ſit, nihil prorſus poteſt exhalari, quo mediante Magnetis vis impenſius infirmetur. A. error itaque primus, iam ſatis cuiq; patet. D. quòd verò incaſſum multiplicet uſus, ipſe tibi teſtis extitit, qui Hyacinthum ore detētum, conſulere cordi exiſtimatur. ſi igitur in ipſo ore, ac ſi deglutiretur, cor lætificat, ergo ingeſtio eius pro exhilarando corde non niſi ſuperflua quidē erit. A. ſed dicet Auicennas*

*fortaſſe, concedo tibi Dynachryſe, quolibet modo ſiue ore detentus, ſiue ingeſtus fuerit, Hyacinthum cordi opitulari, at magis proficit deglutitus, quia ex viſceribus ipſis, intenſiorem caloris gradum annuentibus omnibus planè acquiret, & ita potentius in nobis ſuas operationes exercebit. D. Vana loqueris Achryuaſme, parum enim refert ad hoc vt hyacinthi vires excitentur, ſi remittamus, vel intendamus caliditatis gradum, cùm eiuſdem ſubſtantia vt fatetur, à calore noſtro immutari non poſſit, & ſiue pectori apponatur, ſiue ore contineatur, dum ab innato calore calefiat, ſatis erit, & ita plures vſus abſque neceſſitate vir iſte nobilis fruſtra introduxit. A. in hoc etiam exorbitaſſe mihi ſanè videtur. D. veruntamen quòd falſum inſuper ſupponat, ex eo patet, quia Hyacinthum per ingeſtionẽ fieri cordi propiorem autumat, exindeq; ualẽtius ſuas regali membro facultates impartire, arbitratur. A. & hoc falſitatis argui Dynachryſe exiſtimas?*

D. aures

*D aures adhibe ſi cognoſcere ueritatem exoptas, abs te peto ò Auicennas, vis ne Socrati Hyacinthum integrum prout eſt, vel in pollinem potius redactum dare? A. nemini dubium, dicet integrum. D. ſi igitur integrum, quomodo per exiles venas, dum capacitatibus illis grandior ſit, tranſire poteſt, antequàm ad hepar ducatur, aut quonam pacto per minorem molem ad cor uſq; ſubſtantialiter penetrando, indomitate ſua non afficit ipſum? A. ſed Auicennam in pollinem redactum dixiſſe potius, coniectura iam aſſequor. D. & in pollinem etiam, cùm ponderoſus eſſe, inalterabilisq; ſubſtantiæ porrò iudicetur inteſtinis tantùm craſſis reſidere, aluiq; excrementis admiſceri, conſonum eſt. cùm enim ob indomitatem materiæ, nequeat in chylum verti, ab optimo quidem ſucco poſt primam cibi, quo erat admixtus, concoctionem, diſcretiua virtus ipſum ſecernere coacta fuerit, ac proinde vt mihi dicas percontor, cuinam loco propinquior ſit Hyacinthus*

*gemma vt cordi vim ſuam promptius impartire poſsit, pectori nè appoſita, vel ventriculo ingeſta? ſi pectori appoſita reſpondebis, intentum habeo, ſed ſi ventriculo ingeſta, falſa quidem pronũciabis. ad hoc enim quòd à ventriculo tendat in cor Hyacinthi uirtus, vt ab inferiori pyloro in inteſtina procedat, ab ipſis in meſeræo, ab eodem in venam portam, exinde in hepar, & a iecore in venam cauam, ac tandem in partes cordis permeet, neceſſum eſt; at ſi pectori apponeretur, vicinior cordi virtus Hyacinthi profectò eſſet. Arteriæ enim ipſæ, Galeno tùm tertio de naturalibus facultatibus decimoquarto, tùm decimoſexto, de vſu partiũ decimo, primoq́ de ſimplicium medicamentorum facultatibus decimoſecundo aſseuerante, in cutim extimam terminantur, quæ quidem cutis, vt aeris attractionẽ fuliginoſorumq́ vaporum expurgationem, facilè admitteret, ſimul cũ ipſis perforatur, & ita, ob illam quam Hyacinthus nobiſcum ſympathiam habet, lætificantem*

*cantem vim, cordi, proprÿs riuulis mediantibus, citius mittet, nec per tantas corporis partes tranſire fuerit opus. adde quod ſi pectori ſuſpendatur, legitimus Hyacinthus, luminoſus, ſplendidus, coloratus, ac per modum loquendi, adhuc viuus poterit appellari. quòd ſi in pollinem (vt dicis) redactus erit, vbi iam lumen, vbi ſplendor, vbi color, eiuſq; vita reſidet? ſi autem pectori appoſitum, ſuas contribuere cordi facultates negares, tunc etiam auctorem tuum Auicennam iniuria valdè afficeres, qui Hyacinthum conſulere cordi & intus, & extra, apertè tenet. ac propterea dixit, illud autem, quo teſtificantur antiqui lætificationem Hyacinthi, quæ fit ferendo, vel tenendo ipſum, & propriè in ore; teſtatur, quoniam ad lætificationem, alteratione non indiget in ſubſtantia ſua, vel in accidentibus eſſentialibus, vel inſeparabilibus, nec eſt neceſſarium quod paſſum tangatur ab ea, ſed ſufficit quòd virtus lætificandi, quæ ab ea manat, ipſum attingat. A. præter*

*expe-*

*expectationem, ad hanc Hyacinthi deſtruendam inſtantiam, melioribus, potioribusq́; rationibus quàm vnquàm poſsit, ſtrenuè dimicaſti. nunc igitur in ſententiam tuam circa vulgare Aurum, facilè inducor, euidenterq́; noui, nulla prorſus cauillatione, veritatem ipſam conculcari non poſſe, vnde vulgare amplius Aurum in medicum vſum uenire, neutiquàm dixerim, cum re vera, ipſum humanæ ſaluti haudquaquàm opitulari cognoſcam. D. non ſolum Achryuaſme (vt ais) nō adminiculatur, ſed fortè etiam rectæ ualetudini quandoq; noxam inferre poteſt, qua de re in humanū vſum cautiſsimè uſurpari debet, cùm nō omne Aurū obriZum ſit, & quando de cupella (vt Aurificorum uerbis vti liceat) non ſit Aurum, pro maiori parte æri, ut in aureis nummis cernimus, admiſcetur, quòd quidem æs, an detrimentum, vel potius emolumentum impartiat, haud ignoras. A. in opinionem igitur Braſauoli deſcendis? D. Braſauolus vir doctiſsimus,*

*in ſuo*

*in ſuo mineralium examine, rectè damnat Vulgare Aurum, ſed in probatione venenoſitatis eius, vt mihi videtur, aberrare comperitur. non enim hoc Sulphur, & Hydrargyrum prout iacent, ſed aliud ab his Argentum, & aliud Sulphur, vt Spagirici omnes atteſtantur, tale metallum conſtituunt. A. & Aurum pro veneno habetur? D. nonulli fuere, qui ex Plinio Aurum eſſe venenoſum arbitrantur, ſed ego ab illa calumnia Pliniũ eſſe uindicandum cenſerem, nam vel torrefactione, aſpritudinem non cognatam ſibi amittere, vel uenenoſam æris mixturam deponere, intellexit. Aurũ enim quatenus Aurum, uenenoſum non eſt, & ideo dixit, torretur, & cũ ſalis grumo, pondere triplici miſſo, & rurſum cum duabus ſalis portionibus, & una lapidis quem ſchiſton uocant, ita uirus tradit rebus unà crematis, in fictili uaſe, ipſum purum, & incorruptum. hæc ille. A. meo quidem iudicio, rectè Plinium interpretaris, & Braſauolum errare Phyloſopho cuidam*

cele-

*celeberrimo nō iniuria aſſentiris, ſed euitando Carybdim, in Scyllam profectò incidiſti: negas ucnenoſitatem ineſſe Auro propter Hydrargyrum, & eſſe noxium ob æris mixtionē, non vereris aſſerere? D. quidni? A. Braſauolus quidem excuſationem quadantenùs meretur, ſed tu duplici pœna indigeres. ipſe enim fuit a Galeno perſuaſus, qui quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus decimonono, in numero mixtorum eroſione interimentium, Hydrargyrum reponit. & tu qui a Galeno medicamenti ſoluentis uiciſſitudine dari æs pro comperto habes, dicere audes, quod ſit ita noxium, vt Aurum ab ipſo uenenoſam adipiſcatur facultatem? D. ſed tu Achryuaſme duplici nomine redarguēdus es, quare, & duplicem talionis pœnam ſanè mereris. primò, quia ignoras habere æs venenoſam poteſtatem, ſecundò quia te præterit ab innocua re, quandoque rem nocuam procreari. A. vtrumque penitus denegatur. D. nota igitur quò ad primum Galeni uer-*

*ba*

*ba decimoquarto meth. vigeſimo, neque enim (ait) abſolutè ſi adſtringere incipientem flegmonem eſt opus, quodlibet adſtringens in ijs quæ deuoranda ſunt, adhibemus, ſed ea quibus nulla corruptrix admiſta vis eſt. nam Chalcanthus inter præcipua, adſtringit, ſicut etiam Myſi, & Sori & Chalcitis, & Diphryges, & Aes vſtum, & ſquama eius, & Flos; verum hæc medicamenta deuorata, noxia ſunt. A. ſi igitur æs, ut dicis, venenoſum eſſet, qua ratione ipſemet Galenus tertio, de ſimplicium medicamentorum facultatibus decimoquinto, & æs vſtum, & ſquammam, in numero medicamentorum ſoluentium reponeret? Dioſcorides etiam quonam pacto pro educenda aqua, ipſis vteretur? D. quid ni? non ne medicamenta ſoluẽtia ſecundum te venenoſa ſunt? A. & quomodo venenoſa? non ne ſemper occiderent homines? D. veh Achryuaſme, terminos diſtinguere neſcis? nonne ea differentia tibi innotuit, quæ inter medicamenta venenoſa, et deleteria eſt?*

*audi Galenum in ſextum de morbis vulgaribus comm. 6. aph. 5. vbi ad verbum dixit, verum fortaſſe quis exiſtimauerit, & purgantium medicamentorum materiam, inter mortifera eſſe cenſendam, nam & hæc vltra modum exhibita, nos interficiunt. id ſi conceſſerimus conſequens erit etiam, vt Alexipharmaca, & Theriacam, in mortiferis enumeremus; quandoquidē, & hæc nos perdere poßint, niſi quis ex ipſis omnino ualdè parùm aſſumpſerit. verum ea de cauſa mihi plura medicamenta non vocare mortifera Medici uidentur, quòd ipſorum temporibus, quibuſdam utilitas neceſſaria ſit. ea uerò appellare deleteria, ideſt pernitioſa, quæ nullo vnquàm tempore neque ægrotis hominibus, neque ualentibus, opem ferunt. neque enim Aconitum, neque Argentum viuum, neque argenti ſpuma, neq; Marinus Lepus in corpus accepta, ullum nobis afferunt emolumentum, quemadmodum & alia pleraq́ꝫ, de quibus & illis in commentarijs actum eſt, ubi de*

*iuuan-*

*iuuantibus, atque nocentibus per totius ſubſtantiæ proprietatem, diſputauimus. hæc ille. & ita quamuis æs venenum eſſe aſſerui, deleteriam tamen facultatem habere, non affirmaui, & dato etiam quod ipſum æs ſuaptè natura venenoſum nō ſit, ex eo quidem non ſequitur ipſum quandoq; uenenare non poſſe; ab eo enim nonnunquàm materia quædam generatur, quæ nō niſi inter mortifera uenena debet annumerari, & hoc auctoritate Arabum comprobatur. nam Ioannes Serapio, hæc, Philoſophi cuiuſdam teſtimonio, libro ſimplicium cap. 414. ſcripſit. quidā (inquit) faciunt ex ære, uaſa ad comedendum, & bibendum in eis, & nocent eis ualdè, & maximè eis, qui aſſueſcunt hoc diu, nam tales parati ſunt incurrere elephantiam, & cancrū, & dolorem hepatis, & ſplenis, & malitiam complexionis, maximè comedētes in illis, res acras, & bibentes in illis dulcia iuria, & quando comedunt cibum, qui ibi ſteterit die vna & nocte, eſt peius multum, & quan-*

do ponitur vas æreum ſuper piſces aſſatos calidos, fiunt piſces venenum mortiferum. & Auicennas ſecundo canone tractatu capitulo 231. ad verbum dixit, oportet quidem vt caueatur vſus dimittendi illud in quo eſt ſalſedo, & amaritudo aut pinguedo, ſicut ſunt olea, & carnes, aut acetoſitas, aut dulcedo, in uaſibus æris, & bibendi ex eis, ipſa enim tranſmittunt procul dubio uiriditatem æris, & viride æris eſt venenum.

A. auctores iſti, tibi ſe præbent fautores, eorumq́; dicta non cõprobare nequeo, quamobrem erraris nunc argumentis dimiſsis, ad Metallorum Regem reuertamur. dic mihi amabo, ſi Aurum non conſumitur igne, cur eſt, quòd etiam Obrizum foco diſsipatur, perurituŕq;, vt nonnulli nuper facto experimento, conſtare aiunt? quod ſi negares, idq; incorruptibile, ac inuictum perſiſtere affirmares, iam tibi notum extitit, quod quicquid conſtat ex elementis, æternum prorſus eſſe non poteſt, ſed quæ diutius durant, ſeroq́;

corrum-

*corrumpuntur, ea incorruptibilia, ac penè æterna cenſentur, quale Aurum eſt, & gemmæ quamplurimæ, ad eum ſanè modum, quo Salamandra dicitur in igne viuere, ac nihil ab eo pati, quòd nimirum per aliquod temporis ſpacium illæſa, ferè in igne permaneat, vritur tamen Galeno teſte tertio de temperamentis quarto, ſi in eo diutius immoretur. D. ſi eam quam nudius tertius facere me Artem vidiſti, quandoque expertus eſſes, hoc quidem Achryuaſme percontatus non fuiſſes, labora igitur, & inuenies. A. cùm hactenus mihi reſponſum ſemper ſumma cum humanitate præbueris, cur nunc in colloquij limine tàm inhumaniter me derelinquis? D. a tui obſequio neutiquam deſciſcere volo. ſcito igitur, quòd quàmuis, & ipſum Aurum dubio procul corruptioni naturali, vt alia ſublunaria ex componentium elementorum pugna conflictuq́; longiſſimo temporis tractu obnoxium ſit, dum tamen purum, ac Obrizum exi-*

*ſtat,*

*ſtat, igne noſtro nequaquàm conſumi patitur, & ſi Vulgare Aurum comburi aliquando contingat, id vtiq; vel Auri, vel Ignis, vel rei ratione in qua extinguitur, ſanè eueniet; ſi Auri culpa contigerit, dubio procul, non Obrizum, ſed Vulgare Aurum quòd vel Argentum, vel Aes, ſecum habet immixtum profectò erit, ex Plinij teſtimonio, ſæpè Aurum prædictis generatum metallis reperitur, & quamuis ab arte (vt pro nunc vtar vernaculis dictionibus) cupelletur; ſi Argentum ab Auro Aquæ Regiæ poteſtate, da partire (vt aiunt) non ſeiungatur; impuritate etiam afficietur, & ita ignis non ſanè Auri, ſed Argenti tantùm portionem cremabit, abſumetq;. Argentum enim quamuis in genere ſuo perfectum ſit Metallum, ab igne nihiloſæcius ſuperatur. Sed etiam ignis ipſe, Aurum domare Obrizum itidem poteſt, ſi ut aliàs diximus ſubſtantiam ſibi coniunctam erodentem habeat. at res cui Aurum ignitum*

*immer-*

*immergitur, Auri pondus ſubtrahere poteſt, quando Salem, vel Tartarum, uel tale quidpiam cõtinet; Vini igitur ratione cum Tartaro gaudeat, aliqualem ponderis portionem Aurum deperdit. A. ecce callide Dynachryſe, cur me ad alia conuertere tentabas, ex hoc enim quòd Aurea lamina uino extincta virtutem deponit, contra te vtiq́; Auratum uinum habebimus. D. minimè gentium, quia ſuperficiem tantùm abradit, ipſiq́; Vino neutiquàm admiſcetur, & qua ratione delimatam Auri ſcobem, nihil conferre nobis aſſerui, eadem rurſus huiuſmodi Vinum tibi deteſtor. A. heu Dynachryſe, & hoc figmentum pro veritate ſupponis? D. experto crede Ruberto, falſa enim, cõmentitiavè hæc minimè ſunt, & ut unico verbo ueritatis filo buccam conſuam renitẽtis, experimentum huiuſmodi docere te uolo. A. facilè tamen. D. facillimè quidem. Vinum per pannum (quod Filtrum dicunt) deſtilla, ſi inſenſibilem Auri pollinem*

*nem comperire cupis. Caue igitur credas, quòd Vulgare Aurum quicquam ſanitati proficiat, porrò inter mortua corpora debet annumerari, et niſi a Chimia ſuſcitetur, nihil agere natum fuerit. quinimò, & ſi Vulgare Aurum per artem illam ſub potabili forma reducatur, Vulgare etiam nuncupari poteſt, ſi adhuc Spagirica induſtria denuò condenſari poterit. idcircò pro ſanitatis tutela, potabile diſquire Aurum, quòd in Vulgare amplius conuerti non poſsit. A. ò quàm citò Spagiricorum dogmata innotuere, unde ſummo afficior gaudio, quòd abſque labore Chimiæ artis quàmplurima, ſim adeptus. D. heus Achryuaſme, quid amplius vis a me ſciſcitari? A. hoc tantùm, ſcilicet, an Priſcos ſcriptores, ita ſtolidos fuiſſe cenſes, vt Salamandram de qua nunc mentionem feci, extinguere ignem re vera fuerint arbitrati? D. & Iuniores illis, non ne veritati huiuſmodi contradicendo, impudentiæ criminari potius debent? A. cur*

*iſtos*

*iſtos culpandos eſſe proponis, ſi in igne Salamandra exuritur? D. Salamandram ſibi notam, in cinerem verti facilè conceditur, ſed veteribus cognitas Salamandras, ab igne conſumi non eſt aſſerendum. A. multæ igitur ſecundum te Salamandræ ſunt? D. maximè. A. & quæ? D. ignis prima, ſecunda Terræ, Tertia verò quæ apud vos reperitur, & ferè aquæ dicitur, cum ratione temperamenti, tùm quia magnis imbribus tantùm prouenit. hæc autem, Plinio, Galeno, Alberto ac Neotericis omnibus nota fuit, & eius hiſtoriam rectè ſunt aſſequuti. at quæ terræ eſſe cenſetur, animal nō eſt, ſed vel foſſilis lapis, vel vena quædam, vel lanugo, ac pluma, tot habens deſcriptiones, quot ſpecies eius, Amiantus videlicet, Abeſton, Iſcuſtos, Salamandraq́ perhibentur. de Amianto lapide quidem, Dioſcorides quinto libro cap. 113. & Plinius lib. 36. cap. 19. verba faciunt. de Abeſto verò, & Iſcuſto, Albertus ſecundo mineralium, per-*

*tractat, ſed de Salamandra ipſa, Marcus Paulus Venetus, in ſuo itinerario cap. 46. multa dixit; quinimò locum vnde extrahitur, Montes videlicet in Prouincia Ringuitalis repoſitos, copiosè deſcribit, modumq́; docet, quo netur, & telæ ex ipſa cõtexuntur. huius etiam Salamandræ, ſapientes noſtri in expoſitione cuiuſdam loci Deuteronomij capitulo octauo, memorati sũt ibi, veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit; & ipſam proprio idiomate, Sitin vocant. Verum Salamandræ ignis proprietatem, non ſolum Iorach Philoſophus, ſed etiam Ariſtoteles ipſe quinto de hiſtoria animalium capitulo decimonono, literis mandauit, dum dixit: Nonnulla corpora animalium ſunt, quæ igne non abſumuntur. Salamandra autem claro documento eſt, quæ (vt aiunt) ignem inambulans per eum, extinguit. & in hac ſententia olim noſtri fuerunt ſapientes, in ea claſſe, quæ inſcribitur de ſolemnitatibus, ſe-*

*ctione*

*ctione de diebus feſtiuis, capitulo Grauitas rei ſanctæ. A. qua ratione hoc poſſunt aſſerere? ignis forſan animalia gignere aptus eſt natus? non ne huiuſmodi aſſertio contra philoſophiæ principia prorſus eſt? non ne Auerroes tùm ſecundo de generatione animalium capitulo tertio, tùm libro de ſubſtantia orbis capitulo ſecundo, & decimoſecundo metaphiſicæ comment. decimooctauo, ignem nullum animal generare omnino autumat? D. cuicunque elemento animalia propria aſſignantur, vt ſapientes noſtri perhibent, in claſſe, quæ inſcribitur, de Sanctitatibus, ſectione de Prophanis, capitulo Cutis, & Iuſculum. A. at Philoſophi naturales, penitus hoc negarent. D. aberras Achryuaſme, nam & Ariſtoteles loco præallegato id ſcripſit, & tenet, vnde Plinius libro vndecimo, capitulo 36. Ariſtotelis ferè verba traducens, ait, gignit aliqua, & contrarium naturæ elementum, ſiquidem in Cypri ærrarijs fornacibus ex me-*

*dio igni, maioris Muſcæ magnitudinis, volat pennatum quadrupes, appellatur Pyralis, à quibuſdam Pyrauſta, quandiu eſt in igne, viuit, cum euaſit, longiori paulo volatu, moritur. A. hæc omnia commentitia ſunt, quæ intellectus humanus neutiquàm capit, nec fortaſſe quiſpiam fuit, qui igni, Salamandram proprijs vnquam viderit oculis. D. tua te fallit opinio mi Achryuaſme, non ſolum enim quàmplurimi eam viderunt, ſed etiam aliquando in vſu fuit, vt noſtri ſapientes claſſe de Maleficijs, ſectione Senatorum, capitulo Quatuor ſunt ſpecies iudicialis mortis, rectè dixerunt. A. & quis nam fuit ille, qui eam vſu comprobauit? D. Ezechiæ Regis mater, quando Maritus Achaz, communem filium rogo immiſit, vt falſa Idola hac admiranda impietate coleret. Ezechias igitur, pinguedine, & ſanguine Salamandræ ignis perunctus, ab iniuria ardentis prunæ, facilè euaſit. A. ſed quid ais Dynachryſe? ſuos*

*forſan*

*forſan antiqui cremabant filios? mihi olim ni fallor, relatum fuit, quòd in ſimulacrorum quorundam honorem, filios duntaxat per ignem traducebant, nec vſque ad mortem incendio conflagrabant. D. ſcripturam conſule ſacram, & videbis, an veritatem pronuncio, duo enim erant ſacrificandi modi, alter (vt ais) alter verò, vt ego tibi aſſerui. A. quonam loco ſcriptura ſacra de duobus his modis egit? D. primus modus, ex capitulo vigeſimo, Leuitici libri colligitur; ſiquis dederit (inquit) de ſemine ſuo, Idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabunt eum. de eodem etiam, Deuteronomio capitulo decimooctauo, verba fecit, ibi, Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem. Secundus verò modus, in eodem Deuteronomio capitulo duodecimo, enarratur, cum inquit, Non facies ſimiliter Domino Deo tuo, omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt Dijs ſuis,*

*offe-*

*offerentes filios, & filias, & comburentes igni. A. his tamen non obſtantibus, in ſupponenda ignis Salamandra, valdè ſum anceps, præſertim, quia Plinius ſilentio eam inuoluit. D. dic potius quod ipſam 29. libro, capitulo quarto, negare videtur. dùm enim Salamandræ Neotericorum venena deſcribit, ſubiungit, ex ipſis quæ Magi tradunt contra incendia, quoniam ignes ſola animalium extinguat, ſi forent vera, iam eſſet experta Roma. ſed Plinius vir bonus fuit, & ſi hoc in mundo adhuc exiſteret, maiora etiam proculdubio crederet. non ne fuiſſe homines nonnullos, qui ſuaptè natura igne perſiſtebant, ipſemet ſcripſit? non ne Regis quandam particulam ardenti igne indomitam extitiſſe, litteris mandauit? ſed quid amplius? nonne mirandum Cineris pro vero ſupponit? A. quonam libro quod primò recenſuiſti, pertractat? D. ſeptimo ſuo libro capitulo ſecundo, cum dixit, Haud procul Vrbe Roma, in Faliſcorum agro fa-*

*miliæ*

*miliæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo quòd fit ad montem Soractem, Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduruntur, & ob id perpetuò ſenatus conſulto, militiæ, omniumq́; aliorum munerum vacationem, habent. Quorundam corpore partes naſcuntur, ad aliqua mirabiles, ſicut Pyrrho Regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienoſis medebatur, hunc cremari cum reliquo corpore non potuiſſe, tradunt, conditumq́; loculo in templo. A. ſecundum verò vbinam apud ipſum deſcribitur? D. vis forſan ut Plinius philoſopho ſecundi colliget copulatus, currum trahat? non bene conueniunt; Equum enim, & Aſinum ſimul iungere, nefas eſt; quippè Auerroes vt credat, iuramento eget, Plinio verò ſufficit ſimplex verbum. A. ſi me amas verba eius oſtende. D. ſi ipſe id ſcripſit, ego etiam fatuitatem eius tuo rogatu explicare poſſum; locus eſt libro 36. naturalis hiſtoriæ capitulo 27. cuius*

*verba*

*verba ita ſe habent. Non præteribo & unũ foci exemplum, Romanis literis clarum; Tarquinio Priſco regnante, tradunt repentè in foco eius comparuiſſe genitale è cinere, maſculini ſexus, eamq́ue, quæ inſederat ibi, Tanaquilis Reginæ ancillam, Ocriſiam captiuam, conſurrexiſſe grauidam. A. oh, oh, oh, oh, Ocriſia hæc immanis admodum erat, cùm eius amantis cor inhumaniter arſiſſe haud ſibi ſuffecerat, donec ſalacem caudam in cinerem etiam reduxiſſet. D. ut ſementem fecit, ita & meſſuit, namq́ue abſq; vllo oblectamento vtero geſtauit. A. caueant igitur eiuſdem claßis mulieres omnes, nè ſæpius quàm par ſit, foco maneant ſolæ. D. iam tuis Achryuaſme, petitionibus omnibus ſatisfeci pro viribus, noli me amplius exagitare ſi placet. A. iocatus es hactenus Dynachryſe, vt animum quidem relaxares iam feſſum, & optimè tibi ſucceßit res. Ego autem interea huic ſermoni finem imponens, concludo, quod in Vino, vel Aqua, Succo,*

*vel*

*vel Iuſculo, quibus Vulgare Aurum reſtinguatur, nulla Aurifica facultas ineſt, qua Auri potentiales uirtutes adipiſci contingat, ita quòd tanti laboris præmium, nonniſi bibendi iucunditas, cenſeri debet. D. nec etiam iucunditate huiuſmodi mi Achryuaſme, bibentes fruuntur. Vulgare etenim Aurum, vtpotè denſum, ignis aliqualem ſaporem contrahit, qui quidem ſapor, in Aqua, cùm ſit omnium qualitatum expers, quo nomine quorumcunque ſaporum ſuſceptibilis eſt, nonnunquàm deguſtatur, quinimò ob eam extinctionem, facilè Vinum aceſcit, vt qui palatum habent exquiſitum, id optimè atteſtari valēt. quare cùm acidus ſapor, ſub acerbo reponi dicatur, qui ex Galeno primo de ſymptomatū cauſis ſexto inſtar acriū, acutorum, amarorumq́; guſtus inſtrumentum diuellit, neque iucunditatem, neque oblectamentum vllum, afferre poteſt, ex Ariſtotele namq́; ſeptimo Moralium Eudemiorum ſecundo, iucunda ſimpliciter ea uoca-*

*Aa* *mus,*

*mus, quæ integrum, ſanumq́; corpus oble-ctant; & ſani homines, non vino acido, ſed dulci tantùm, atque ſuaui gaudere ſolent. A. tuo dulci, ſuauiq́; Nectare, amantiſ-ſime Dynachryſe, mirificè oblectatus fui, vnde quantas maximas vnquàm poſſum, ago tibi gratias, & immortales. D. ſoli Deo optimo Maximo, qui ſummus eſt, ho-nor, & gloria, agantur in ſempiternum. LAVS DEO.*

FINIS.

# INDEX LOCVPLETISSIMVS eorum quæ in prima ſcriptione & ſubſequentibus Dialogis continentur.

## A


*Abrotanum diſcutit.* 29.2

*Abrotanum tertiũ gradũ caloris obtinet.* 28.2

*Abſynthium adſtringit.* 29.1

*Abſynthium calfacit in primo gradu.* 28.19

*Acetum glutinoſos ſuccos diſſecat.* 110.20

*Acidus ſapor ſub acerbo reponitur, & inſtar acrium acutorum amarorumq; guſtum diuellit.* 177.19

*Aconiti temperamentum ex Dioſcoride, Aetio, & Galeno.* 109.1

*Aconitum & venena deleteria ſemper nobis contraria ſunt.* 34.5

*Adamas Magnetis vim reſtringit.* 68.3

*Adam primus homo, primus fuit tranſgreſſor.* 84.2

*Adam anni fuerunt nongenti & triginta.* 85.11

*Adequatam entis ſubſtantiã ex qua mirabiles effectus producuntur, non niſi Altiſſimus Deus perfectè noſcit.* 38.19

*Adulatio ita cuique pernicioſa eſt; vt eam Plato in Phedro beſtiam humano generi peſtilentem uocitaret.* 16.22

*Aes medicamenti ſoluentis uice datur.* 160.12

*Aes noxiam poteſtatem habet.* 160.19

*Aeſculapij ſtatua aurea erat.* 106.2

*Aeſculapium ferunt Apollinis filium extitiſſe, atque auro indutum vt hominem pecunioſum cùm extrema ægritudine ad mortem ferente opprimeretur curaret, unde & fulmine percuſſum.* 107.6

*Agit id quod vincitur in id q̃d uincit, uerum ita exiguum ut ſenſum effugiat.* 143.1

*Alberti opinio de propria metallorum materia.* 5.9

*Alecterium lapidem quomodo a Galli uentriculo eximere poſſumus ad hoc ut ſuas facultates ſeruet.* 62.6

Alexipharmaca & Alexiteria naturam habent mediam inter corpora perpetientia et uenenum. 34.22
Allium Herculeum lapidem ſtupeſcere facit. 68.5
Allium venenis uehementi frigiditate lædentibus reſiſtit. 110.13
Alteratio actualis quæ. 4.2
Amandinæ gemmæ uires. 58.13
Amuleta Latinis, περίαπτα Græcis dicuntur. 72.10
Animal uecordiſſimũ eſſe Struthium Albertus ſcripſit. 135.7
Animalia nõnulla occulta quadã proprietate prædita; inalterabilia mixta domare poſſunt. 27.19
Animantium calor dummodo non ſit aliqua peculiari uirtute præditus, auri materiã diſſoluere nequit. 44.1
Animatorum & inanimatorũ entium diſcrimen quo ad facultatem ſpecificæ formæ ſecundi ordinis. 61.3
Anima intellectiua quæ nam ſit. 51.22
Aqua in qua extinctum ſit aurum aurificam facultatem non habet. 177.1
Aquæ aſperſio in qua aurum elotum ſit reprobari debet. 76.21
Aqua cùm ſit omnium ſaporũ expers, quorumcunque ſaporum ſuſceptibilis eſt. 177.7
Araneus ſiniſtro febrientis brachio adligatus amphimerinã curat febrem. 56.12
Archæus primus, quid 117.20
Archiatos quid. 118.3
Ares quid. 119.5
Ares, alter Naturæ diſpenſator eſt, & ex generibus formas & ſpecies in indiuidua producit. 119.18
Argentum & Aurum metalla perfectiſſima ſunt. 7.20
Argentum & Aurum non alterantur a calore noſtro: ibidem.
Arteriæ in cutim extimam terminantur. 156.13
Arthemiſia attenuat. 29.1
Arthemiſia in ſecundo gradu calida eſt. 28.20
Aſſiduo illiſu durum cauat undula ſaxum. 143.8
Auerroes non potuit Aſtronomorum poſitiones penitus deſtruere. 49.11
Augmentum & nutritio ad animam uegetatiuam potiſſimè ſpectant. 52.14
Aurea barba auream Aeſculapij ſtatuã æmulabat. 106.15

Aurifi-

